



Cont. libell. hor

Q. D. B. V
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM 13
DE
VNO NECESSARIO

AD LOCOS
MATTH. VI, 24 -- 34, ET LVC. VII, 11 -- 17
ILLVSTRANDOS

PRAESIDE
CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM EPHORO
ET H. T. RECTORE

AD DIEM MARTII MDCCCLV
IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET
RESPONDENS
M. IO. FRIDERICVS DEHNIVS
SCHLIEBENENSIS SAXO



VVITTEBERGAE
STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA

13

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA

PHARMACOPŌEA



Cum hominis natura post lapsum adeo sit deprauata, ut is ad diffidentiam erga DEVM, optimum Patrem et Creatorem, atque ad uanas rerum curas, inprimis, quae ad uictum et amictum, atque ad diuitias conquirendas, spectant, procliuius, de iis sollicitus sit anxie, ea uero, quae ad gloriam DEI, fiduciam erga DEVM, et ad regnum DEI, unum istud necessarium, Luc. X, 42, consequendum, respiciunt, parum curet, Optimus Seruator in altera pericope, quam praefens Differentio exhibet, uanas illas curas uario argumentorum pondere dedocet, contra uero, quae Christiano curanda ac quaerenda sunt, egregie docet, in altera uero tradit exemplum pie cuiusdam uiduæ, quae, cum procul dubio se curae ac prouidentiae diuinæ commiserit, ac regnum DEI quaesierit, filio suo secunda donatur uice, eaque re gesta effectum Sospitatoris, *ζητείτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τῆς Θεῆς, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτῆς, καὶ ταῦτα προστεθήσεται ὑμῖν*, confirmatur. Faxit Summum Numen, ut omnia eius gloriae, et aedificationi Ecclesiae, bene uertant.

C A P V T I

EVANG. DOMIN. XV POST TRINITATIS

MATTH. VI, 24 — 34, EXTANS

ILLVSTRATVR

V E R S V S 24 ET 25

24 Οὐδείς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἓνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει, ἢ ἐνὸς ἀνδεξέσεται, καὶ τοῦ ἐτέρου καταφρονήσει. Οὐ δύνασθε Θεῷ δου-
25 λέειν καὶ μαμμονᾷ. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, καὶ τί πίνητε, μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν, τί ἐνδύσθητε. Οὐχί ἡ ψυχὴ πλεονῆσει τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος;

Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim unum oderit, et alterum amabit, aut uni adhaerebit, et alterum despiciet. Non potestis DEO seruire et mammona. Propterea dico uobis, ne curate de anima uestra, quid edatis, et quid bibatis, neque de corpore uestro, quid induamini. Nonne uita plus est cibo, et corpus indumento?

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οὐδείς δύναται - καὶ μαμμονᾷ. *Nemo*, quicumque ille sit, *potest*, partim, uno eodemque tempore, partim eadem mentis sinceritate et amore, partim pleno officio, partim denique pari studio et promptitudine, *duobus domi-*

dominis, sibi aduersantibus, et contraria officia poscentibus, *seruire*, cuius rationem reddit TERTULLIANVS, in *Apol.* scribens, cum alterum colit, utique, quem non colit, offendit, praelatio enim alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quodsi autem aliquis hoc uellet audere, aliisque persuadere, hypocrifcos, perfidiae, proditiōis, ac nequitiae notam uix effugiet, conf. 1 *Reg. XIII, 21.* Nam, si accuratius in eius seruitia inquiratur, aut unum oderit, et alterum amabit, eique soli seruiet totus, prout debet. 10. quidem VORSTIUS, b. 10. OLEARIUS, alique ἀγαπᾶν per anteferre, et μισεῖν per posthabere uertere malunt ex Ebraismo. Sed, uti Ebraismus fingendus non erat, cum apud profanos quoque ἀγαπᾶν anteferre, ac μισεῖν posthabere, denotet, uid. *Vindiciae*, p. 96 et 125, seqq. sic significatus harum uocum proprios, ex rationibus, quas in *Vindiciis* cit. p. 127, attulimus, praecipiamus. Atque idem infert locutio altera, quae prioris effectum indicat, quando Dominus pergit, aut uni adhaerebit, totus ipsi deditus, et ad quaeuis officia paratus, eum in pretio habebit, nec ullo modo ab ipso auelli poterit, ob amorem erga eum, et alterum despiciet, parum de ipso sollicitus, parui aestimans eum, ob odium, quo ipsum persequitur. Hinc recte obseruauit LUDOUICVS de DIEU ad h. l. quod CASAVBONI sententia uix locum habere possit, qua statuit, ac si Domini mens haec esset, licet utrumque amet, fieri poterit, ut, dum in alterius uoluntate exequenda erit intentior, erga alterum se gerat negligentius. Distinguat igitur diligenter ἀγαπᾶν et ἀντιχεῖσθαι, et omnis fuerit sublata difficultas, siquidem indiuiso quodam nexu ἀγαπᾶν et ἀντιχεῖσθαι, μισεῖν et καταφρονεῖν, ut causa et effectus, cohaerent, quem enim amamus, illi addicti sumus, et, cui addicti sumus, illum amamus, sic e contrario, quem odimus, illum despiciamus et parui aestimamus, et, quem despiciamus ac parui aestimamus, illum odimus. Deinde loquitur Dominus, ut supra notauimus, de duobus dominis sibi aduersis, quod omnino probant uerba insequentia, ἐν δυνάδει θεῷ δουλέυσεν καὶ μαμμωνᾶ, qui duo profecto sibi inuicem aduersantur, ut recte hanc in rem CHRYSOSTOMVS scripsit, *Hom. VI in Epist. ad Philip. II.* Nefas est pecuniarum seruum germanum esse Christi seruum. Christus ipse promunciauit, rem esse huiusmodi, quae constare nullo pacto queat. Non potestis, inquit, DEO seruire et Mammona. Et nemo potest duobus dominis seruire. Contraria enim praecipiunt. Christus inquit, parce pauperibus, Mammona inquit, exue illos etiam iis, quae habent. Christus inquit, effundo, quaecumque habes, Mammona inquit, ea etiam cape, quae non habes. Vides pugnam, uides bellum. Conf. omnino 2 *Cor. VI, 24, seqq.* Ut igitur rei ueritas pro se ipsa loquitur, sic tria adhaec sunt notanda, scilicet, quid sit μαμμωνᾶ, quo sensu dicatur dominus, et, denique, utrum omnes diuinarum posseditores in Mammonae seruis sint habendi?

bendi? Ad primum quod attinet, nonnulli, in quibus etiam b. STO CKIVS est, ab Hebraeo מַמְוֹנָה deducunt, IRENAEVS uero *lib. III aduersus haereses, p. m. 178, a Mam*, quod ipsi *gulosum* significat, deriuat, alii aliter, plerique tamen conueniunt interpretes, quod *μαμμωνά* sit Syriacae originis uocabulum, descendens ab *מ* speciatimque, ut nobis uideatur, a forma *Aphel*, iuxta quam denotat, *facit credere*, diuitiae enim in hominum animis id cumprimis efficere, esseque adeo dementare, solent, ut fiduciam in his collocant, inde, nomen *Mammona*, siue *Mamona*, ut *Luc. XVI, 11*, illas accepisse apud *Syros*, aliasque Orientis gentes, uerosimile est. Loci ex Talmudicis scriptoribus, Patribus, aliisque, in quibus diuitiae dicuntur *Mamon*, uide apud BUXTORFIVM in *Lexico Chald. Talmud. Rabbinico, fol. 1217. seqq.* congesti. Hic uero, *Mammon* cum dominus dicatur, disputant interpretes, quo nomine is ueniat, utrum appellatio, an proprio? Nos, appellatiue hic sumi uocem *Mammona*, propugnamus auctoritate contextus, ex cuius u. 19, 20, 21, intelligitur, de diuitiis, non de diuitiarum idolo, sermonem esse, deinde ex uocis significato in sacris aequae, uid. *Luc. XVI, 9, 11*, ac Talmudicis, uid. *Hof. V, 11, Hab. III, 9*, usitato, qui semper appellatiue acciperent, nulli propriè, et quamuis hoc loco dominus uocetur, ac τῷ Θεῷ opponatur, *Mammon*, tamen id factum est ob nimium amorem, quo homines in eam flagrant, et ob nimium in diuitiis studium, quibus homines student, in iisque fiduciam collocant, *Pf. LII, 9*, earum serui facti, quo sensu etiam uenter dicitur deus, *Phil. III, 19, coll. Rom. XVI, 18*, et aurum dicitur solatium, *Iob. XXXI, 24*, peccatum ac iustitia dicuntur domini, *Rom. VI, 17*, ac u. 22, serui peccati opponuntur seruis DEI. Omnis igitur res amabilis potest dominus fieri, non ob naturam, aut dignitatem, suam, sed ob infirmitatem seruientium, ob nimium amorem, fiduciam, et abasum, quando seruiunt ei homines, nec ea re utuntur. *conf. Pf. LII, 9, LXII, 11, Eccles. VI, 2, 1. Cor. VII, 29, seqq. 1. Tim. VI, 17*. Ex quibus ultimae quaestionis responsio fluit sponte, quod non, qui possident diuitias, quae dona sunt diuina, piis quoque data, uid. *Gen. XIII, 2, XXX, 43, 1. Reg. III, 13, 1. Chron. XXX, 12, 28, 2. Chron. XVIII, 1, XXXII, 27*, sed qui iis seruiunt, *Eccles. VI, 2*, in seruis sint habendi, de quibus Dominus, *Matth. XIX, 21, seqq.* loquens coelum ipsis denegat. *Conf. u. 19-21*. capitis nostri *VI Matthaei*, ad quos Seruator respicit, in iisque alterum thesaurum, siue Dominum in coelis, cui seruiendum est, proposuit, alterum uero in terris, siue diuitias, cui seruiendum non est, appellauit.

Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν - - τοῦ ἐνδομάτος. Propterea, qui ueri serui DEI esse uultis, nec nomine tantum, dico uobis, ut intelligatis, quid a ue-

ris DEI seruis requiratur, et inde discatis, utrum veri sitis serui, *ne curetis*, non interdicitur cura licita, qualis est parentum, patrum familias, ministrorum Ecclesiae, magistratus, quam suadet Paulus, *Act. XX, 28, 1 Tim. V, 8*, sed illicita, quam idem dissuadet, *Phil. IV, 6*, itemque Petrus, *1 Petr. V, 7*, et ab incredulitate diffidentia, et auaritia ortum trahit, quibus paulo momento hic illuc impellitur, et quasi in partes varias diuiditur. Est enim *μεριμνῶν α μισείζων* diuidere. Scialis igitur, quod, ut domini seruis suis prospiciunt, ne pereant sic et DEVS, cui seruitis, curaturus sit pro seruis suis, *1 Reg. XVII, 4, 6, seqq. XIX, 5, seqq.* ne desit quicquam, quod ad uitam conseruandam spectat, *Pf. LV, 23, 1 Petr. V, 7*. Si ergo DEI est curam habere uestrum, uobis id non conuenit, quare *ne curetis*, nihil enim curae uestrae efficiunt, iuxta u. 27, *animae*, id est, *uitae, uestrae*, ex Graecismo, uid. *Vindiciae N. T. ab Ebraism.* p. 90, *quid edatis, et quid bibatis*, haec quidem duo conseruant uitam hominis, quoad in his terris conuersatur, sed cum adeo summam in his acquirendis adhibere soleant curam, ut DEI curae uim faciant, atque a suis curis uitam, eiusque sustentationem, pendere sibi uideantur homines, ideoque in corpore conseruando peccent, iuber Dominus, ut abstineant a curis istiusmodi, inquit, *neque curetis corpori uestro, quid induatis*, tum ad nuditatem eius obtegendam, quod lapsus in memoriam reuocat, *Gen. III, 21*, tum ab aestu ac frigore id defendendum, quod infirmitatem prodiit, et corporis mortalis indicium est. Arque ab his curis facile abstinerent, si expenderent, quod, si DEVS sit Dominus, Pater, et creator, is quoque seruatorum, filiorum, ac creaturarum suarum curam sit habiturus, deinde, quod uita sit maior ac nobilior ipso cibo, itemque corpus indumentis, siue, ut Sospitatoris uerba sonant, *Nonne uita plus est cibo, et corpus indumentis?* Sensus est. Si DEVS uitam et corpus, ut poriora et nobiliora dedit, utique etiam uiliora, uictum et amictum, quae ad illa sustentanda pertinent, dabit, siue ut CHRYSOSTOMVS, l. c. scribit, *Quoniam igitur hoc, quod maius est, largitus est, quanto etiam, quod minus est, largietur? Qui formauit carnem, alimentis egentem. quomodo non etiam alimenta praestabu?* Conf. b. GLASSII *Philol. S.* p. 1211.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

¶ Vni ut seruiendum est Domino, aut DEO, aut mundo, *1 Reg. XIII, 21, Luc. XVI, 13, 2 Cor. VI, 14, seqq. Iac. IV, 4*, sic uni thesauro cor suum dedicare debet homo, aut ei, qui in coelo est, *Pf. LXXIII, 25, 26, Matth. VI, 21*, aut qui in mundo est, ille in aeternum durat, *Matth. VI, 20*, hic uanus est et perit, *1 Io. II, 16, 17, Iac. V, 1, seqq.* Ergo illum, non hunc amate, *1 Io. II, 15*.

H O S I

- II O si expenderent avari, diuitiarum serui, quod a DEO sint alieni, quod sint idololatrae, *Eph. V, 5, Col. III, 5*, quodque, cum diuitias corradant, coelum perdant, *Matth. XIX, 23, 24*, et tandem saperent, *Pf. XC, 13*.
- III Nimia diuitiarum cupido homines facit auaros, auaritia autem homines facit in hac uita, et post hanc uitam, infelices seruos, *Eccles. VI, 2, 1 Tim. VI, 9, 10, Iac. V, 1, 2, 3*, Nolite ergo diuites confidere diuitiis, quae incertae sunt, sed DEO uiuenti, *1 Tim. VI, 17*.
- IV DEO qui uult seruire et mundo simul, hypocrita est DEO abominabilis, *2 Cor. VI, 14, seqq. Apoc. III, 15, 16, Iac. IV, 4*.
- V Diuitiae non damnant possessorem, sed possessor, qui illis abutitur, se ipsum damnat, uid. Εξήγ. Hinc mementote diuites, quod uestrum sit diuitiis recte uti, non abati *1 Cor. VII, 31*.
- VI Nimium qui curant, DEO diffidunt, de eiusque prouidentia dubitant, dubitantes autem nihil accipiunt, *Iac. I, 6, 7*. Hinc tuum fac officium, reliqua committe DEO, qui curat et uigilat pro nobis, *Pf. LV, 23, CXXI, 1, 2, 1 Petr. V, 7*.
- VII Si DEVS pro nobis, si ipse curam gerat nostrum, iuxta προσοικ. anteced. quid tu curis discurcias animum tuum, quae uanae sunt, nec quicquam efficiunt, *Pf. CXXVII, 1, 2*. In DEVM ergo reuice tuas afflictiones, tuas curas, eumque inuoca, et omnia bene cedent, *Pf. XXXIV, 18, 19, XXXVII, 5, L, 15, LV, 23, Rom. IIX, 28*.
- VIII Qui tibi uitam dedit, dabit etiam uisum, et qui dedit corpus, dabit etiam amicum, *Gen. I, 29, III, 21, Iob. X, 21, 12, Pf. CXLV, 15, 16*. Cur ergo inquiete temet affligis?
- IX Si DEVS pecori, imo coruis, dat escam, *Iob. XXXIX, 3, Pf. CXLVII, 9, 10*, et omnes saturat creaturas, *Pf. CXLV, 16*, quid dubitas, quid diffidis? Nonne te quoque inter omnes creaturas refert, incredule? Idcirco, ne sis incredulus, sed crede DEO, quod possit iuuare et nutrire, et reuera te adiuturus ac nutriturus sit, *1 Reg. XVII, 1, seqq. XIX, 4, seqq. Ies. LIX, 1, Ier. XVII, 7*.

VERSUS 26 ET 27

26 Εμβλέψατε εἰς τὰ πτερυγία τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συναύγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐρανόθεν τρέφει αὐτά. Οὐχ ὑμεῖς

27 μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν, μεριμνῶν, δύναται προσθέσαι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἓνα;

Adspicite in uolatilibus coeli, quod non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, et tamen Pater uester coelestis nutrit ea. Nonne nos magis excellitis illi? Quis autem ex uobis, curans, potest addere ad staturam suam cubitum unum?

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Εμβλέψατε εἰς τὰ πετεινά - - διαφέρετε αὐτῶν. *Aspicite*, in antecedenti versu Sospirator argumentatus erat a maiori ad minus, in hoc autem versu argumentatur a minori ad maius, siue ab homine, creatura nobiliori, ad ignobiliorum progreditur exempla, quibus prouidentia Domini erga suos feruos, creatoris erga creaturas, commendatur, iisque diffidentes et increduli conuinci possunt. *Aspicite*, inquit, diffidentes et increduli, qui nimium de uestra sustentatione estis solliciti, eamque uestro adscribitis labori et curae, uolatilia coeli, uid. *Vind. cit. p. 348*, S. Lucas, *cap. XII, 24*, habet *κατανοήσατε τὰς κόρακας*, *considerate coruos*, speciem inter uolatilia ignobiliorum, *Iob. XXXIX, 3*, *Pf. CLXVII, 9*, ex eorumque conseruatione discite prouidentiam DEI, quam in uobismet ipsis discere non uultis, quod eos labores non faciant, in quibus tamen uos omnis sustentationis uestrae causas ac fundamentum ponitis, siquidem *non seminant sicut uos, neque metunt, neque colligunt in horrea*, et consequenter, si curae, si labores, essent uera et unica conseruationis uestrae causa ac fundamentum, necesse esset, ut illa interirent omnia, quia ea non faciunt, quae uos facitis, tamen, licet ea non faciant, conseruator ille omnium rerum, *Pater uester coelestis*, qui uos et illa creauit, *nutrit ea*, pro sua misericordia et gratia, qua omnium operum suorum miseretur, *Pf. CXLV, 9*, eaque conseruar. Licet illa non habeant horea, neque thesauros, tamen unumquodque eorum inuenit escam suam. *Considerate*, igitur, uolatilia coeli, *Magnum sane*, AMBROSIVS in Luc. XII scribit, *et aptum*, quod fide sequamur, *exemplum*. Nam, si uolatilibus coeli, quibus nullum exercitium cultionis, nullum de messum foecunditate prouentus est, *indescientem tamen prouidentia diuina largitur alimoniam*. Verum est, *causam inopiae nostrae auaritiam uideri*. Etenim illis idcirco inolaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communes ad escam datos, speciali quodam nesciunt uendicare dominatu. Nos communia amisimus, cum propria uindicamus. Nam nec proprium quicquam est, ubi perpetuum nihil est, nec certa copia, ubi incertus euentus. Cur enim diuitias tuas aestimes, cum tibi DEVS etiam uictum cum caeteris animantibus uoluerit esse communem? Aues coeli speciale sibi nihil uendicant, et ideo pabulis indigere nesciunt, quia non norunt aliis inuidere, Quae ergo ratione uos diffiditis prouidentiae diuinae, quod uestrum curam habiturus non sit nobiliorum creaturarum, qui ignobiliorum curam gerit. Nonne uos longe praestatis illis? Ex quibus recte colligit HIERONYMVS in h. l. contra eos, qui per uolatilia coeli Angelos intellectos uoluerunt, scribens, *Sunt enim quidam, qui, dum uolunt terminos patrum excedere, et ad alta uolitare, in ima merguntur*, Volatilia, dicentes, coeli Angelos esse, ceterasque in
mini-

ministerio DEI fortitudines, quae absque cura sui, DEI aluntur providentia. Si hoc ita est, ut intelligi uolunt, quomodo sequitur dictum ad homines. Nonne uos pluris estis illis? Simpliciter ergo accipiendum, quod si uolatilia absque cura et aerumnis DEI aluntur providentia, quae hodie sunt, et cras non erunt, quorum anima mortalis est, et, cum esse cessauerint, semper non erunt. Nonne igitur uos etiam, qui longe praestatis illis, creaturae enim estis rationales, illae irrationales, uos ad imaginem DEI et ad uitam aeternam conditi, illae autem ad hanc uitam duntaxat et uestra causa sunt creatae, nutrieret Pater coelestis, qui immundos coruos nutrit, Pf. CXLVII, 9, et omnibus reliquis animantibus dat cibum ac potum, Pf. CIV, 10, seqq. CXLV, 15, 16, nonne uos, licet horrea non habeatis frumento repleta, hortos et rura fructibus ac segete superbieantes, thesauros pecunia refertos, conferuaret, et quae ad uictum et amicum sunt necessaria, uobis suppeditaret. Cur ergo curis, quae uanae omnino sunt, nec uos iuuant quiequam, ex cruciatis animos uestros, quod Sospitator in uersu sequenti euincit, pergens.

Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεγανῶν, - - πῆχυν ἔνα; Quis autem, i. e. nemo, interrogatio enim negat, ex uobis mortalibus, siue sit parui, siue uasti, corporis, qui in uotis habeat, ut statura eius adhuc longior fiat, sollicite de ea curans, siue, si uel maxime de ea curet, ac sollicitus sit, potest ad staturam suam, qua DEVS eum donauit, cubitum unum addere, siquidem statura, pro ea quantitate, quam DEVS homini assignauit, manebit, nec curis suis quiequam efficiet. HAMMONDVS uero ad h. l. WOLFBVRGIVS in Obs. S. p. 256, alique ad aetatem referre malunt, ad Mimmernum, qui πηγύριον χρόνον, exiguum tempus, et Dauidem, qui de uitae suae tempore, Pf. XXXIX, 6, scripsit, Ecce dies meos palmos constituisi, prouocantes, nec negari potest, hanc explicationem apprime conuenire, inprimis cum προαδύται etiam de uitae tempore accipiatur, conf. Ies. XXXIIX, 5. Hinc aut alterum sibi eligat Lector expositionem, siue utramque explicationem coniungat, ut sensus sit, Nemo potest uel staturam suam, uel uitae suae tempus, siue aetatem, qua unicum cubitum, uel momentum prolongare. Tendendum uero est, quod Dominus altera ex parte his uerbis curarum inutilium doceat uanitatem et stultitiam. Vanitatis enim et stultitiae est, earum rerum curis ex cruciari animum, quarum aut compotes fieri, aut curis nostris eas consequi, non possumus, altera uero ex parte, ut unusquisque sorte sua sit contentus, expendatque, quod eam sine DEI uoluntate uel mutare, uel amplificare, non possit, licet noctu diuque curet, sicut pumilio staturae suae cubitum addere frustra contendit, nec ille, qui cum Ηίρκια Ies. XXXIIX, 1, seqq. uitae suae prolongationem in uotis habet, ne momentum

quidem ei addere possit, quamvis hoc, ut *9. LVCAS* addidit, in minimis sit habendum, *cap. XII, 26*, scribens, *Si igitur neque minimum potestis, quid de reliquis curatis?* sed quod haec omnia a providentia *DEI* pendeant, qui, ut unicuique staturam largitus est corporis et vitae tempus constituit, sic etiam cibum, quantum sufficiat, et quoad uiuunt, sit daturus. Mittendae igitur sunt inutiles curae, quibus nihil efficitur, siue diuitias augendas ac uictum respicias, nisi animarum damna, *1 Tim. VI, 9, 10*, siue ea, quae ad amicum, de quo in uersibus sequentibus, spectant.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I** Surfum corda, ubi thesaurus uester, *Matth. VI, 21*, surfum eleuate oculos, increduli, et coelos atque aues aspiciete, qui creatorem et conseruatorem omnium rerum, adeoque uestrum etiam, uid. ad uers. anteced. *προσοικ. VIII* et *IX*, uos edocebunt, *Pf. XIX, 2, CXLVII, 8, 9, Iob. XXXIX, 3.*
- II** Quocumque oculos conuerteris tuos, testes prouidentiae, omnipotentiae, sapientiae, ac benignitatis diuinae, qui eam laudant, suaque existentia ac praesentia confirmant, uidebis, *Pf. XIX, 2, CIV, 12. 24, 27, CXLVIII, 2, seqq.* conf. *προσοικ. anteced.* Cur ergo de tua conseruatione dubitas? conf. ad uers. anteced. *προσοικ. VI, seqq.*
- III** Ecce iniuriam, qua Patrem tuum in coelis laceffis, incredule! Patrem tuum uocas illum, *Matth. VI, 9*, et tamen dubitas, utrum Patris curam et amorem erga te habeat, creatorem eum uocas, *1 Cor. IIX, 6*, conf. Symbolum Apostolicum, et tamen dubitas, utrum te conseruaturus sit, Coruus illum uides nutrientem, te autem nutriturum dubitas. Pudeat te incredulitatis tuae! conf. paulo ante *προσοικ. I.*
- IV** Expende homo, quod conseruationis tuae fundamentum non in seminando, merendo, et colligendo in horrea sit positum, sed a benignitate diuina proficiscatur, qui opportuno tempore dat pluuiam, incrementum, ac tempestatem, qui conseruat, ne pereant aut grandine, aut fulmine, aut hoste, aut alio quodam infortunio, *Gen. XLIX, 25, Leuit. XXVI, 16, 20, 26, Deut. XI, 14, 15, XXIX, 3, seqq. Ier. V, 24, Aët. XIV, 17.* Disce ergo tandem tuis uiribus diffidere, *DEO* contra, datori omnis boni, *Iac. I, 17*, confidere, uid. ad uers. anteced. *προσοικ. VII.*
- V** *DEVS* promisit, se non obliturum, sed miserurum esse, tui, sicut pater liberorum suorum miseretur, *Pf. CIII, 13, Ies. XLIX, 15, LII, 10.* Ergo fidem habe promissioni eius, qui ipsa ueritas est, nec mentiri potest, *Num. XXIII, 19*, atque curis solutus *DEO* relinquo uitae tuae curam.

VI SI

- VI Si DEVS ignobiliorum creaturarum habet curam, uid. ad uersus anteced. *προσοικ.* IX, et omnium suorum operum miseretur ob creationem, *Pf. CXLV, 9*, multo magis nobiliorum praestantiorumque, in quibus tu es numerandus, *Luc. XII, 24*, miserebitur, ob filiationem, *Pf. CIII, 23, Ies. LXIII, 16*.
- VII Sis forte, sis statura, tua contentus, nec de ea cures, nam curis tuis, quae uanae sunt, nec quicquam efficies, nec eam mutabis, *Pf. CXXVII, 2*.
- IIIX Quo minor es corpore, eo maior sis animo ac fide, *Luc. XIX, 3, 4, 5, 9*. DEVS enim non est *προσωπολήπτης*, nec ex uasto corpore aestimat hominem, sed eor respicit, *1 Sam. XVI, 7, Pf. CXLVII, 10, 11*.
- IX Cum unusquisque staturam suam a DEO habeat, caueas, ne despicias pumilionem, *1 Sam. XVII, 42*, DEI enim ille opus est, *Pf. CIV, 24*, pumilio uero non curet, ut longior fiat, eo enim ipso se ipsum suumque creatorem reprehendit non tantum, sed his uanis quoque curis stultum prodit animum.

V E R S V S 28 — 30

28 Καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; κα-
ταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς
29 αὐξάνει. Οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει. Λέγω δὲ
ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σαλομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ
30 αὐτοῦ περιεβάλετο, ὡς ἐν τούτων. Εἰ δὲ
τὸν χροῖτον τοῦ ἀγροῦ σήμερον ὄντα, καὶ
αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς
οὕτως ἀμφιένυσται, οὐ πολλῶν μᾶλλον
ὑμῶν, ὀλιγόπιστοι;

Et de uestimento quid curatis? Obseruate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant, neque nent. Dico autem uobis, quod neque Salomo in omni gloria sua amictus fuit, sicut unum horum. Si autem herbam agri, hodie existentem, et cras in clibanum iniectum DEVS ita nescit, nonne multo magis uos, exiguae fidei homines.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ περὶ ἐνδύματος - - οὐδὲ νήθει. *Et, i. e. deinde, uid. Vindic. cit. p. 164, de uestimento, quo omne genus indumenti intelligitur, quid curatis diffidentia, incredulitate, aut auaritia etiam, agitati? Non enim iusta, quam lumen reuelationis aequae, 1 Tim. V, 8, ac naturae praecipit, interdicitur cura, sed peccatinoſa illa, et in DEI prouidentiam iniuria, ut supra ad u. 25 est dictum. Discite, i. e. ut S. LUCAS cap. XII, 27, scripsit, κατανοήσατε, considerate tam oculis, quam mente, lilia agri, quae hic in agris, siue campis, sine cura et labore humano crescentia ac pulcherrime florentia, hinc albo, aut rubro, ac flauo, inde coeruleo, aut purpureo, ac uiolaceo colore superbi-
entia uidetis. Ut igitur campeſtria illa lilia, sponte in campis nascentia,*

ab

ab hortenſibus, quae humanae culturae ac labori aliquid debere uidentur, ſunt diſtinguenda, ſic, non contrariari ſibi interpretes, arbitramur, quorum alii, purpureos, alii candidos, alii uiolaceos, flores intelligendos eſſe, ſtauerunt, uid. AMELIVS P. V, p. 45, ſiquidem, cum tot ſpecies liliorum dentur, ac procul dubio earum uariae permixtae in campis floruerunt, ut ex locutione ἐν τοῦτων uerſus 30 colligitur, omnes quidem admittere poſſimus, licet definire non queamus, quasnam tunc florentes indicauerit Soſpirator. An uero cum iis ſit faciendum, qui cum ABRAHAMO SCVLTETO per κείνα omnis generis flores intellectos uolunt, ſcribente, *Notum eſt, et κείνα et λείγια generatim flores campi denotare. Tanta eſt ſloris lili dignitas, inquit POLLIX, ut Homerus omnes flores uocauerit λείγια. Scholiaſtes Apollonii Rhodii, καθ' ὅλον, inquit, τὰ ἀνθη λείγια λέγεται.* Et Lucianus, *λείγια καλείται, εἶγε μέρμηρα, τὰ ἀνθη.* Lilia uocantur, ſiquidem memini, flores. Haec cauſa eſt, cur, cum uulgo legatur, *Exod. XXV, 34, καὶ τὰ κείνα αὐτῆς,* Symmachus uerterit, καὶ τὰ ἀνθη αὐτῆς, et *Pſ. XLV, 1, τὸ שושניו יר* idem interpretatur, ὑπὲρ τῶν ἀνθων, quod Aquila et Theodotio ὑπὲρ τῶν κείνων. Sic hic κείνα ſunt, quod τὰ ἀνθη in genere. Neque enim ueroſimile eſt, ualles et campos, in quos Dominus oculos coniecit, nullis, niſi liliorum, floribus fuiſſe coronatos, et eſt plurium ſlorum pulchritudo, ut cum glorioſo Salomonis amictu poſſent contendere, adhuc dubitamus, nec rationes nobis uidentur tantae, quae a proprio ſignificatu τῶν κείνων nos deducant. Nam α) a ſynonymo ad ſynonymum non ſemper ualet argumentario, inprimis, cum interpretes de propria ſignificatione τῶν λείγιων non conueniant inuicem, alii enim cum SVIDA, narcifſos, alii cum HOMERO et LUCIANO quemcunque ſtorem, ſignificare, aiunt, alii uero cum DIOSCORIDE, lilia exprimi, uolunt, de κείνοις uero conſtat, quod proprie lilia ſignificent, nec facile poterit locus adduci, in quo κείνα flores, ſiue ἀνθη, expriment uarij generis, quod autem β) ad locum *Exod. XXV, 34,* attinet, recte SYMMACHVS uocem חַיִּי בְּרִיבִי uerit, καὶ τὰ ἀνθη αὐτῆς, quoniam haec propria eius eſt ſignificatio, LXX uero interpretes, τὰ κείνα uerentes, aut ingenio ſuo indulſerunt, aut ex antiquitate habuerunt, flores illos candelabri fuiſſe lilia. Ex quibus autem inferre non licet, τὰ κείνα ſignificare quoscunque flores, ſicut nullibi פרחי פרחי ſpecifice denotat lilium. γ) Inſcriptionem *Pſalmi XLV, 1, שושניו יר על* non accurate uerit ὑπὲρ τῶν ἀνθων, quia locutio illa aut ſtorem lili, qui eſt proprius שושניו ſignificatus, aut instrumentum ſex chordarum, designat δ) Lubentes dare poſſumus, ualles ac campos illos, in quos Dominus oculos ſuos conieciſſe dicitur, uaria ſlorum pulchritudine ornatos fuiſſe, eorumque plures cum glorioſo Salomonis amictu conten-

contendere potuisse, sed tamen ideo non sequitur, Dominum omnes illos flores voce κήρων exprimere uoluisse, quin potius statuendum sit, eum praecipuum, inter florentes ibi, florem, qui, tum capitella sua inprimis extollens, candidioraliorumque colorum superbiebat pulchritudine, atque oculos demulcebat, tum uestimentis principum intertextus olim narratur, de quo ad uersum seq. in mentem reuocare uoluisse. ε) Locutio uersus 29, quam urgent alii, ως ἐν τούτων, non ad flores in genere, sed ad uarias liliorum species, quarum paulo ante recensuimus nonnullas, respicit. ζ) Ad uocem κήπος uersus 30 sese recipiunt alii, quos inter b. STOCKIUS in h. l. scribit, Colligi hoc potest ex uersu 30, ubi loco κήρων Saluator adhibet uocem κήπος, quae gramen significat, sine uiride, ut Matth. XIII, 26, sine siccatum, quod focnum dicitur, Heu, 1 Cor. III, 12. Sed, quid sentiendum sit de hac ratione, ad uersum citatum paulo post dicemus, iam uero redeamus ad lilia, flores pulcherrimos, de quibus Sospitator pergit, quomodo, sine omni cura ac labore humano adeo nitide crescunt, in altum surgentia, et uario suo colore in Creatoris gloriam magnifice superbiunt, quamquam illa, ut uos, diffidentes partim et ἀλογιστοι, partim auari, anxie facere soletis, ac si non DEVS uos uestiret, sed uos ipsi uestrum conseruatores essetis, non laborant, neque nent, quorum illo uirosum, hoc uero foeminarum, curae indicari uideantur, his enim nere, illis uero laborare, proprie conuenit. In ueroque igitur, tum nobiliori, tum sequiori, sexu γαστριμέριμα illae notantur.

λέγω δὲ ὑμῖν, - - ως ἐν τούτων. Dico autem uobis, quod, cum egregius ornatus liliorum ac pulchritudo expendatur altius, neque Salomo, sapientissimus ditissimusque Rex, cuius magnificentiam et gloriam, quae ex uestimentis etiam elucebat, 2 Chron. IX, 4, ipsa Regina austriae est demirata, in omni gloria sua et magnificentia Regia, qua radiabat Regiis uestibus indutus, uestitus fuit, licet forte iisdem uestimentis est usus, qualium de Ioue PAVSANTIAS, Eliacor. Prior. seu lib. V. p. m. 401, mentionem fecit, scribens, τῷ δὲ ἱματίῳ ζῳδία τε καὶ τῶν ἀνδρῶν τὰ κέφα ἐστὶν ἐμπροσθημένα. In uestimento autem Iouis, in throno sedentis, animalia pariter, ac lilia ex floribus sunt celata, aut plecta, itemque MARCELLINVS, lib. XIV, inquit, Longioris fimbriae tunicae perspicua lucent uarietate liliorum. Cum enim Salomo amicissimus Hiram, Tyri Regi, esset, quae erat emporium omnis rei pretiosae, magnificae, atque artificiosae, isque, harum rerum amantissimus, undique conquireret eas, ut ex 1 Reg. X, 5, 22, 25, est colligere, nalli dubitamus, quin Salomo istiusmodi quoque sericis uestibus fuerit amictus, in quibus lilia candida, purpurea, aliorumque colorum fuerunt intertexta, ad quos Sospitator respexisse

spexisse uideretur, monens, licet uestibus liliatis, siue quae liliis arte factis fuissent ornatae, usus fuisset, tamen ille non uestitus fuisset tali colore florido, splendido, et natiuo, sicut unum horum liliorum, quae hic tam uarii pulcherrimique coloris uidetis in campis, cuius ratio est, quia natura superat artem, illiusque pulchritudo maior est, quam artis. Imitatur haec quidem illam, sed non adaequat, hinc recte HIERONYMVS, in h. l. scribit, *Quod sericum, quae Regum purpura, quae pictura texturicum potest floribus comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid ita candet ut lilium? Violae uero purpuram nullo superari marice, oculorum magis, quam sermonis iudicium est.* Denique notandum est, quod recte quidem asserant interpretes, campos in terra sancta liliorum copia ornatos mirifice splenduisse, sed quando haec ex *Cantico canticorum* asserunt cap. II, 16, VI, 2, 3, uix id probabant, quod uolunt, cum in istis de hortensibus, non campestribus, sermo sit. Expressa enim uox יָדוּבָה addita legitur, *Amicus meus descendit יָדוּבָה in hortum suum ad areolas aromatis, ad pascendum יָדוּבָה in hortis, et ad colligenda lilia, Ego sum amici mei, et amicus meus est, qui pascit inter lilia.*

Εἰ δὲ τὸν χόστρον τοῦ ἀγροῦ - - ὀλιγόπιστοι; Si autem gramen agri, siue herbam, *Matth. XIII, 26*, qualis etiam est liliam, quod in herbis refertur, atque caulem crassiorē protrudit, qui, cum breue tempus floruerit, et post florem exaruerit, in clibanum iniicitur, siue, ut Sospiator loquitur, *hodie*, i. e. breui tempore existentem, et cras, i. e. paulo post, cum exaruerit, et in manipulos redacta fuerit, in clibanum iuuetur, ut igne absumatur et calefaciat, DEVS, pro sua omnipotentia, adeo magnifice uestit, et per illud tempus, breue licet sit, conseruat in flore glorioso, nonne multo magis uos, qui creaturae estis rationales, omniumque uisibilium nobilissimae, adeoque multo praestatis illis, uestiret, *exigua fide praediti*, qui uestra diffidentia in DEVM omnem fere fidem suffocastis, adeo, ut fidei tantum scintillula adhuc in uobis superfit, quam Dominus sermone suo diuino afflabatur, ut in ignem fidei euaderet. Hac ratione nihil difficultatis uerbis Sospiatoris inesse nobis uidetur, nec opus esse, ut uocem χόστρον cum aliis stipulam, cum aliis manipulum, cum aliis siliquas, frutices, cetera uertamus, uid. CASAVBONVS ad h. l. ELSNERVS in *Obs. S.* ad h. l. quoniam totam herbam arefactam, folia cum caule, exprimit, more, Medicis, Botanics, et Pharmacopoeis recepto.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I Si DEVS liliorum gerit curam, eaque uestis, quid tu, diffidens DEO, tui uestitus habes curam? Qui tibi corpus dedit, dabit etiam corporis amicum. Referantur hic, quae supra iam ad u. 25 προσοικ. VI, seqq. sunt dicta.

II Q10.

- II** Quoties tu aspicias liliorum candorem, eiusque memineris, toties mentis oculos efferas et memineris candoris uestium, quibus aliquando in futura uita indurus solis stellarumque instar splendebis, *Dan. XII, 3, Matth. XIII, 43, 1 Cor. XV, 41, 42, Apoc. III, 4, VI, 11, VII, 9, 13.*
- III** Vanitatem uestium earumque luxum expende, florum dum uideris mirificos colores atque ornatus, qui hodie superbiunt iis, cras autem aridi in ignem iniiciuntur, *Pf. CIII, 15, 16, Eccles. II, 11, Ies. XL, 6, 7, 1 Petr. I, 24, Iac. I, 10, 11, et uide, ne idem tibi, qui externo uestium ornatu et luxui studuisti, aliquando eueniat, Luc. XVI, 19. Externus enim ornatus DEO te non commendat, nisi simul interno ornatus fueris, huic stude, Pf. XLV, 14, 15, Ies. III, 16, seqq. 1 Tim. II, 9, 1 Petr. III, 3, 4, 5, Apoc. XVII, 4.*
- IV** Noli tantum lilia aliasque creaturas a DEO mirifice ornatas uoluptatis et uanitatis gratia aspicere, sed partim, ut Creatoris sapientiam, omnipotentiam, benignitatem, ac prouidentiam demireris ac glorifices, partim uero, ut tuam fiduciam in DEO confirmes, *Pf. CIV, 14, 15, 24, Luc. XII, 28, tuaeque mortalitatis sis memor, Iob. XIV, 1, 2, Pf. XC, 6, 7, CIII, 15, 16, Ies. XL, 6, 7, Iac. I, 10, 11.*
- V** Quot lilia, quot flores, tot Creatoris et Conseruatoris omnium rerum testes, conf. ad uers. 26 προσοικ. II. Hinc uide et audi, quid illi narrent de sua existentia et conseruatione, tibi que, qui diffides, applica, *Iob. XII, 7, 8, 9, tecum reputans, quod omnia, quae habes, a DEO tibi sint data, Iac. I, 17, nec is imposterum te sit derelicturus, Ebr. XIII, 5.*
- VI** Si DEVS lilia adeo egregie uestit et ornat, qui neque labrant, neque nent, quanto magis uos, qui otiosi et desides non estis, sed iuxta uocationem uestram in timore DEI laboratis, aut netis, eique confiditis, uestiet?
- VII** Licet quidem tibi uestimenta induere pretiosa et splendida, si status tui conditioni conueniant, nec corde superbias, *Esther. V, 1, 1 Io. II, 15, 16, sed expenderis, quod uanitati subsint, uid. paulo ante προσοικ. III.*
- VIII** Vbi Salomonis gloria, splendor, ac magnificentia? Cur ergo tu in externo uestium ornatu a luxu tantum ponis studium, cur gloria et magnificentia tua superbis? Scisne, quod haec omnia sint uana, uid. paulo ante προσοικ. III, tibi que mortali, breui deferenda, cum floris instar collapsurus sis, *Pf. XLIX, 18, Iac. I, 10, 11.*
- IX** Etsi uel maxime te exornaueris splendidissimis uestimentis arte factis, floribus tamen concedendam tibi palmam esse scito. Quid ergo superbis ornatu, qui floribus caducis cedit?

X Diffidentes, siue, qui exigua fide sunt praediti, tum sibi ipsis uim faciunt, quod curis excruciant animum, seque ignobiliores habent ipsis floribus, tum DEI prouidentiae, ac si ille rerum ignobiliorum curam gerat, nobiliores uero negligat. O si tandem saperent uani homines.

VERSUS 31 ET 32

31 Μὴ οὖν μεριμνήσητε, λέγοντες· τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν, ἢ τί περιβαλώμεθα; πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητοῦν. Οἶδε γὰρ ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος, ὅτι χρῄζετε τούτων ἀπάντων. *Ne igitur curetis, dicentes. Quid edamus, aut quid bibamus, aut quid induamus? Omnia enim haec gentes quaerunt. Nouit enim Pater uester coelestis, quod indigetis his omnibus.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Μὴ οὖν μεριμνήσητε - ἢ τί περιβαλώμεθα; *Ne igitur*, postquam, quatuor argumentis, curarum uanitatem et sollicitudinem ante oculos Sospiator posuerat, nunc admonet, *ne igitur curetis*, siue *solliciti sitis*. Ut uero licitam curam, quae sit iuxta uniuscuiusque uocationem in Domino, et fundamento illo, ora et labora, inniuitur, his uerbis non interdicit, quia, haec interdicta, securitas, ignauia, et similia, introducerentur uitia, sed uitiosam illam, qua suis uiribus, sollicitudini, et studio tribuit et confidit nimium. DEO uero eiusque prouidentiae diffidit, siue ut THEOPHYLACTVS in h. l. de utroque scribit momento, inquit, *Non explodit operari, sed se ipsos totos curis tradere, et negligere DEVM, hoc est, quod prohibet, quoniam et agros colere oportet, et uitae, curam habere, conf. Gen. III, 19, 1 Tim. V, 8, 2 Thes. III, 8-11.* De operibus igitur uocationis nostrae s. liciti sumus, sed non de iis, quae uel prouidentiae diuinae sunt opera, uel nos efficere non possumus, uel prorsus uana sunt. *Horum nihil, scribit CHRYSOSTOMVS, Hom. XXIII in Math. curemus, neque etiam curando quicquam amplius consequemur, nisi quod nosmet ipsos sollicitudinum angore distendimus. Cum enim nobis et curantibus, et non curantibus, praestat, imo tunc magis, quando nihil hinc omnino curamus, quid tibi amplius sollicitudo praestabit, nisi quod superfluam a te exigit ultionem, neque enim quisquam ad conuiuium iuu- rus opulentum, de ipsius diei cibo se curare patietur, nec ad fontem aliquis accedens sollicitudinem de sitis necessitate perpetietur. Nequaquam ergo etiam nos, dum habemus liberalitatem et prouidentiam DEI, cunctis omnino fontibus et conuiuio instructissimis affluentem, inopes putemus, neue pusillanimes simus, ex diffidentia, ad Moysis exemplum, Num. XI, 21, seqq. dicentes. Quid in posterum edamus, aut quid bibamus, aut quid induamus.* Haec enim est uox uel egeni diffidentis,

dentis, uel auari, de inopia conquerentis, licet rerum affluentibus abundet, *Eccles. VI, 1, 2.* Qualem sollicitudinem de uictu in dissidentibus ΕΡΙ-
 CΤΕΤΥΣ quoque, *lib. I, c. 9,* reprehendit, scribens, *ὅτε χορτασθήτε σήμερον, καθεσθήτε κλαίοντες, περὶ τῆς ἀουριον, πένθεν Φάγγης.* Cum saturati sitis hodie, fientes sedetis de crastino, unde comesuri sitis.

Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ - - ἀπάντων. *Omnia enim haec uana, ut nimirum diuitiis, omni uictus et amictus genere, abundant, nec quicquam huius mundi bonum sibi desit, gentes, qui sine DEO uero sunt, Eph. II 12,* ideoque nec DEO eiusque prouidentiae confidere possunt, sed uel sibi solis, suo studio, ac uirtuti, uel hominum auxilio confidunt, uel fato tribuunt contingentia, quaerunt sollicitate, omni cura adhibita. Et quamuis nonnulli inter gentes philosophi prouidentiam diuinam, et DEVM curam habere rerum omnium, asseruerint, multum tamen abest, ut eidem confidere, quod Christianorum est germanorum, potuerint. Scribat hinc ΕΡΙCΤΕΤΥΣ apud ΑΡΡΙΑΝΥΜ *lib. III, c. 26,* inquit, *Timet aliquis uir bonus, ne deficient ipsi alimenta. Coecis non desunt, claudis non desunt, et uiro bono deerunt? Ita forti militi nunquam deest stipendii collator, nec mercenario, nec futuri, et bono uiro deerit? Itane DEVS negligens est eorum, qui ipsi sunt dediti, suorum seruorum, suorum testium? Quibus solis utitur, tanquam exemplis erga imperitos, quod et sit, et recte administret hoc uniuersum, et non negligat res humanas, cet.* Conf. b. RAPHELIVS in *Not. Polyb. ad h. l. et AVCTORES a b WOLFIO in Cur Philol. ad h. l. allegati,* tamen ueritas perstabit haec, quod homo a natura DEO confidere non possit, *Gen. IIX, 21, 2 Cor. III, 4, 5, Phil. II, 13, conf. August. Conf. Art. II,* nec credere, quod DEVS specialissime ipsius curam habeat, et, quae ipsi desint necessaria, norit, ut Seruator pronunciat hoc loco, inquit, *Nouit enim Pater uester coelestis, qui in coelis habitat, et tum ratione creationis, tum ratione regenerationis, est Pater uester, Ies. LXIII 16, Matth. VI 9, Act. XVII, 24, 26, 1 Cor. IIX, 6, quod his omnibus egeatis, de quibus anxie solliciti estis. Si enim nouit, quibus egeatis ad uitam conferuandam et corpus tuendum, si est Pater uester, dabit etiam, cura autem uestra est uana, ut bene CHRYSOSTOMVS Homil. XXIII in Matth. ad h. l. scribit, Quam ergo tu opinaris causam tibi esse curandi, hanc ego idoneam esse dico, quae te ab omni liberet intentione curarum, qui enim dixeris, propterea me oportet esse sollicitum, quia sunt necessaria. Ego contra respondeo, propterea non oportet te esse sollicitum, quia sunt utique necessaria, si enim essent superflua, non ita deberes de eorum praestatione considerare, nunc uero, quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere. Quis enim Pater imuenitur aliquando, qui liberis suis necessaria quidem se non praestare patitur?*

tur? Igitur ob hoc quoque procul dubio DEVS ista praeſtabit, quia naturae Creator ipſe eſt, ac ſatis plene, quorum illa indigeat, agnoſcit. Nam ne hoc quidem poteris opponere, quod ſit quidem Pater, ſint etiam neceſſaria, quae a filiis requiruntur. Ignoret autem ille, quod in eorum ſimul indigentia conſtituti? Eſt enim omnino clarum, quod DEVS, qui naturam ipſam nouit, et eius Creator exiſtit, indigentiam quoque eius magis profecto perſpiciat, quam tu certe ipſe, qui huiusmodi neceſſitatibus coarctaris.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Qui tantam huius uitae curam habent, et de cibo, potu, ac uestitu ſunt ſolliciti, illi gentilium more uiuere, ac parum de futura uita ſolliciti eſſe, eiusque ſpem habere, uidentur, *Ieſ. XXII, 13, Sap. II, 1, ſeqq. 1 Cor. XV, 32, Phil. II, 12, III, 19.* Segregate uos ab iſtiusmodi hominum genere, 2 *Cor. VI, 17.*
- II O ſi homines librum naturae diligenter conſiderarent, in unoquoque gramine obſeruariſſent prouidentiae diuinae argumenta, quibus edoceri poſſent, curas ac ſollicitudines humanas eſſe uanas et in DEVM iniurias, uid. ad uerſ. 27 *προσοικ. II et III.*
- III Non ſufficere, te nomine Chriſtiani a gentili diſtingui, ſed uita et doctrina etiam, hac docetur, regnum DEI primario eſſe quaerendum, iuxta uerſum ſeq. DE Oque conſidendum, illa autem ſecundum hanc inſtituenda, et ſine curis agenda, eſt, *Phil. IV, 6, 1 Petr. V, 7.*
- IV Si parentae librorum ſuorum curam habent, hique illorum curae ſe committunt, quanto magis id faciet DEVS, *Pſ. CIII, 13, Matth. VII, 12, u, et quanto magis nobis conuenit idem, Pſ. XXXVII, 5, LV, 23.* Liberos ergo imitare, qui non curant, quid edant, quid bibant, quid induant, parentes enim curare et ſcire, quo indigeant, norunt.
- V Gentiles quaerunt, quae in terris ſunt, tu uero quaere, quae in coelis ſunt, ubi Pater, ubi theſaurus, tuus, *Matth. VI, 20, Col. III, 1, 2.*
- VI Si DEVS nouit, quibus indiges, quid tu curas, ipſe curabit, ipſi ergo curam committas, conf. ad u. 25, *προσοικ. VI, VII.*

V E R S V S 33 ET 34

- 33 Ζητείτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν ἄρτιον, ἢ γὰρ ἄρτιον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.
- Quaerite autem primum regnum DEI, et iuſtitiam eius, et haec omnia adiciuntur uobis. Ne igitur curatis in craſtinam, craſtina enim curabit ſua ipſius. Sufficiens eſt diei afflictio ſua.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ζητετε δε πρωτον - προσεθησεται υμιν. - *Quaerite autem, haec sit cura aestra, ut ex toto corde et omni studio, auditione, lectione, et meditatione uerbi diuini, Ps. I, 2, 3, Luc. XI, 28, uanis contra et peccaminosis illis curis de rebus uanis, 1 Io. II, 15, 16, 1 Tim. VI, 17, Iac. V, 2, 3, dimissis, quae impedimento sunt et obicem ponere solent, primum, tum ratione temporis, ne negligatis id, 2 Cor. VI, 2, Hebr. IV, 1, XII, 15, tum ratione scopi, studii, et finis, Phil. III, 12, seqq. ut sit primarius, regnum DEI, unum illud necessarium, de quo Seruator, Luc. X, 40, 41, 42, quod est uel gloriae, Matth. XXV, 34, uel gratiae, ad quorum illud, qui usque ad finem uitae in fide perstamus, Matth. XI, 22, Apoc. II, 10, tendimus per hoc, quod Seruator in hoc mundo doctrina Euangelii instituit, ut sibi colligeret Ecclesiam, quae ciues et domestici DEI essent, Eph. II, 19, 20. Constitit autem hoc regnum, quod quaerere iubemur, non in cibo ac potu, aut aliarum rerum affluentia, sed in iustitia, pace, et gaudio in Spiritu S. Rom. XIV, 17, hinc addit Dominus, et iustitiam eius scilicet DEI, quae ex ipso, quoad donationem et imputationem, Rom. IV, 3, 5; IIX, 32, 33, est, Phil. III, 9, et a Christo generi humano, cum pro ipsius peccatis satisfecit, Ies. LIII, 4, seqq. parta, Rom. III, 24, 25, 26, IV, 25, hinc Christi iustitia dicitur, quae, uera fide apprehensa, homini imputatur, isque iustificatur, Ies. LIII, 11, Rom. III, 22, IV, 5, atque tunc iustitia dicitur fidei, quam sequitur pax eum DEO, Rom. V, 1, et gaudium in Domino, Phil. IV, 4, nec non opera charitatis, siue iustitia operum, in hac uita inchoata, in altera autem consummata, Matth. XIII, 43, 2 Petr. III, 23. Hoc igitur regnum DEI, eiusque iustitiam, si quis quaesuit, illiusque cinis, huiusque fide compos, factus, filius DEI est, Io. I, 12. Si autem filius DEI est, hic ipsam non deseret, Ebr. XIII, 5, sed omnia ipsi adiciet, quae in hac uita sunt necessaria, siue ut Seruatoris sunt uerba, et haec omnia, quae usus praesentis uitae postulat, cibis nimirum, potus, atque amictus, et de quibus anxie curatis, adiciuntur uobis, uelut additamentum et auxuarium, sine ulla anxia cura et sollicitudine, ex largissima DEI benedictione, quae uestrae uocationis opera et labores sic fortunabit, ut uictus et amictus, ceteraque huius uitae praesidia et ornamenta, uobis non sint defutura, sunt uerba b. STOKKI in h. l. Necessaria enim sunt sumenda non petenda, auctore AVGVSTINO, de Serm. Dom. in monte, scribente, *Quid inter sit inter bonum, quod appetendum est, et necessarium, quod sumendum est, hac sententia declarauit, cum ait, quaerite primum regnum DEI et iustitiam eius, et haec omnia apponentur uobis Regnum ergo et iustitia DEI bonum nostrum est. Et hoc appetendum, et ibi finis con-**

situ-

fituendus, propter quod omnia facimus, quaecunque facimus. Sed quia in hac uita militamus, ut ad illud regnum peruenire possimus, quia uita sine his necessariis agi non potest, apponitur uobis haec, inquit, sed uos regnum DEI et iustitiam eius primum quaerite. Cum enim dicit illud primum, significauit, quod hoc posterius quaerendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum, necessarium autem propter illud bonum.

Μὴ οὖν μεριμνήσητε - ἢ κακία αὐτῆς. Ne igitur, postquam tot euici argumentis, a uita uestra ac corpore, ab auibus et liliis, a statura et aetate uestra, a uanitate et inutilitate curarum, ab iniuria in DEVM et uosmet ipsos, defumtis, diuinam prouidentiam curare omnia, uestrasque curas esse superuacaneas et peccaminosas, sequitur conclusum, ne igitur curate in crastinum, sed abstinete a cura futurorum intemptiua, cuius comes diffidentia esse solet. Exprimitur enim locutione εἰς τὴν ἀγοίον, scilicet ἡμέραν, per Synecdochen, omne futurum tempus, de quo homo sollicitus est, et tum diffidentia in DEVM peccat, tum se ipsum curis conficit, cum tamen rectius agat, si praesenti, licet paruo, contentus, ac bono animo fuerit, *Prou. XV, 13, 15, 16, XXII, 1, 22, 1 Tim. VI, 6, seqq. Crastina, enim dies, siue futurum tempus, de quo nemo nos certiores fecit, utrum uiuemus, conf. Luc. XII, 20, et quae nam erunt rerum causae ac circumstantiae, curabit sua, τὰ ἑαυτῆς scilicet ὄντα, quae ad ipsum pertinent. Komt Zeit komt Rath, dicunt Germani. Hinc, de nouo, ex nouo hoc argumento, curas istiusmodi esse proscribendas, apparet. Ut uero per metonymiam hic tribuitur tempori id, quod in tempore euenit, sic recte scripsit b. WOLFIVS in *Cur. Phil.* ad h. l. inquit, sed et profanos Scriptores nocem ἀγοίον atque ampla significatione adhibuisse, ut tempus imminens quocunque denotet, patet ex locis uariis ab ALEXANDRO MORO, ad h. l. p. 29. seq. et b. GOTTF. OLEARIO p. 232, *Obf. Sacr. ut et IO. MASSONO in Hist. Critica Reip. Lit. Tom. I, p. 220, seq. qui Graecorum et Latinorum exempla affert, productis. Atque ut illa quidem Gentilium dicta de cura a futuris imminens retrahenda maximam partem Epicuraeo sensu prolata sunt, ita sono tantum cum isto Saluatoris nostri praecepto conueniunt. Is enim, recte monente MORO, non in diem, ut illi, uiuere iubet, aut omnem curam excludit, sed eam sollicitudinem, quae μεριμνα dicitur, comes egestatis et auaritia, nec uetat nos ἀγτέν, sed ζῆτέν, atque adeo iubet ἀγτέν, ἵνα μὴ ζῆτώμεν. Petimus a DEO panem crastinum, non autem quaerimus, tanquam summum bonorum, ut Ethnici, quibus summa curarum fuit, quid ederent, quid biberent, ut est apud Senecam. Interim tamen nec desunt, in Gentilium scriptis admo-**

admonitiones huiusmodi, ex meliore forte corde profectae. Sic Antoninus, XII, 1, ait, τὸ μέλλον ἐπιτρέψης τῇ προνοίᾳ, h. e. Futurae providentiae permittit. Conf. IV, 33, 34, VII, 8, et X, 11, cum notis Gatakeri. Denique Seruator ultimum addit argumentum, quo unusquisque homo obligatur ad curas illas abiiciendas, inquit, *sufficiens est diei afflictio sua*. Cum enim miseria humana tot iam afflictionibus prematur, illae non adhuc augendae sunt. Quod tamen fit, quando homo animum suum curis exerceat, iisque calamitates calamitatibus, quas unaquaeque dies fert secum, addit. Quare abstinere a curis, *sufficiens*, scilicet est, id est, *sufficit* (Qui scribendi modus ut Graecis est tritissimus, sic frustra reprehenderunt hanc dicendi rationem ideo, quod ἰκανὸν non congruat cum uoce *κατὰ* uno eodemque genere, ut exempla profanorum copiosa id doceat, et b. WOLFIVS ex Notis MSTRIS illustris TRILLERI Notratis testimonia haur pauca in *Cur. Phil.* ad h. l. attulit.) *diei praesenti, et cuius futuro, afflictio, aerumna, et calamitas sua*, quam in patientia et spe feramus. De quo adagio, siue proeuerbio, apud Hebraeos, ut DRVSIVS et IO. VORSTIVS appellant, HIERONYMVS *Epist.* 174, ad *Amandum* haec scripsit, inquit, *Interrogas, quid significet illud in Euangelio iuxta Matthaeum, Nolite solliciti esse de crastino. Sufficit enim diei malitia sua. Crastinum in scripturis sanctis futurum tempus significat. - Quae ergo de futuris nos cogitare prohibuit, concessit de praesentibus propter humanae uitae fragilitatem. Quod autem adicit, sufficit diei malitia sua, hoc modo intelligit, sufficit nobis de praesentibus huius seculi cogitare angustiis. Quid necesse est sensum ad incerta et futura extendere, quae aut consequi non possumus, aut cito inuenta perdamus? Κατὰ enim, quam Latinus uertit in malitiam, apud Graecos duo significat, et malitiam et afflictionem, quam κάκωσις Graeci dicunt, et hic magis pro malitia transferri debuit afflictio.*

Η Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Peruerfa est natura humana, peruerse inde agit, et ὄστρον πρῶτόστρον committit, dum prius de uictu et amictu sollicita est, quam de regno DEI. Tu, qui pius esse uis, inuertas, et primum quaeras regnum DEI, unum necessarium istud, *Luc. XI, 41, 42*, et reliqua DEVS adiciet, *Pf. LV, 23. 1 Petr. V, 7*.
- II Vt multi sunt, qui regnum DEI eiusque iustitiam aut parum curant, mundum enim plus amant, quam DEVM, aut qui quaerunt quidem, sed non eo studio, quo conuenit, *Matth. XIII, 19, seqq.* sic pueri sunt, qui ex toto corde et omni studio id quaerunt, *Matth. VII, 14, XIII, 23, 44, 45, 46*. Hos, Christiane, imitare uice, ut uiuas.
- III Nisi in hac uita quaesueris regnum DEI, quod est gratiae, neque post hanc uitam in illud ingredieris, quod est gloriae. Noli ergo tempora gratiae negligere, *2 Cor. VI, 1, 2, Hebr. IV, 1, 7*.

D

IV Re-

IV Regnum DEI qui quaerit, simul iustitiam DEI, quae fundamentum est regni gratiae, quaerat, eamque fide apprehendat, uid. Εξηγ. u. 33, et uere diues erit, *Pf. LXXXIII, 25, LXXXIV, 12, Luc. XII, 33.*

V Vide, quae bona sint uitae huius, non sunt ipsum bonum, *Rom. XIV, 17,* sed adiectamenta eius. Cur ergo, uane homo, scorias quaeris, ipsum uero aurum ac margaritas negligis? *Luc. XII, 20, 21, 33, Iac. V, 1, seqq.* Nonne, quia uanus es, et uanitatem amas?

VI Despicientis est, de castino et futuro tempore anxie curare, nescientis, utrum cras, aut futuro tempore, erit in uiuis, et circumstantiae eius erunt tales, quales sunt hodie, *Pf. XXXIX, 5, 8, XC, 6, 7, Iac. I, 11, 12, IV, 13, 14, 15.* A DE O pendent unice futura contingentia, qui omnia mutare potest, *Pf. LXXVII, 11, Dan. II, 21,* tu ergo praesentia patienter et aequo animo feras.

VII Dum sollicitudo auari ac diffidentia egeni dissuadentur, non commendatur homini securitas, aut pigritia, sed respectu DEI fiducia in DEVM, *Pf. XXXVII, 5, LV, 23,* respectu sui ipsius, ora et labora, *Pf. III, 19, Pf. L, 15, XC, 14, seqq. 1 Petr. V, 7.*

IIIX Quid tandem, homo, sollicitudine tua efficias, nisi quod, altera ex parte, animi tui tranquillitatem auferas, te ipsum excrucies, ac sensim sensimque eneces, *Pf. XXXIX, 7,* altera uero ex parte DEI obliuiscaris, eum offendas, atque ad iram prouoces, conf. ad u. 26, προσοικ. III. Noli ergo de futuro curare, uid. ad u. 24, προσοικ. VI, seqq. et ad uers. 26, προσοικ. V.



CAPVT II

QVO

EVANG. DOMIN. XVI POST TRINITATIS

Lvc. VII, 11 — 17, EXTANS

ILLVSTRATVR

VERSVS II ET 12

11 Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἐξῆς, ἐπορεύετο εἰς πόλιν, καλουμένην Ναϊν, καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοί, 12 καὶ ὄχλος πολὺς. Ὡς δὲ ἤγγισε τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ, ἐξεκρίζετο τεθνηκώς, υἱὸς μοιρογενῆς τῆ μητρὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτῇ χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πάλειος ἱκανὸς ἦν σὺν αὐτῇ.

Posthaec factum est in sequenti die, ibat in ciuitatem, uocatam Nain, et simul ibant cum ipso discipuli eius multi, et turba magna. Cum uero appropinquarent portae ciuitatis, tunc, ecce, efferebatur defunctus, filius unigenitus matri suae, quae erat uidua, et populus ciuitatis multus erat cum ipsa.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἐξῆς - καὶ ὄχλος πολὺς. Posthaec, uid. Vindic. p. 164, cum centurionis seruum paralyticum et infirmum in ciuitate Capernaum sanasset, et ex hac egressus esset, nunc ad mortuum excitandum properat, infirmitas enim mortem, ait Glossa Ordin. antecedit, atque inde factum est in sequenti scil. die, uid. similes loci, Act. XXI, 1, XXV, 17, XXVII, 18, integra autem phrasis extat Luc. IX, 37, ἐν τῇ ἐξῆς ἡμέρα, ut iret, uid Vindic. p. 291, in ciuitatem, uocatam Nain, quae quinque circiter lapidibus a ciuitate Capernaum distabat in tribu Isaschar, et quidem in amoenissimis conuallibus montis Thabor erat sita, et ob amoenitatem illam ac pulchritudinem, teste HIERONYMO, aliiisque, hoc nomine uocata. Nain enim נַעַיִם est amoenum, iucundum, pulchrum. Vnde Naemi, mortuis filiis, lugens dixit, Ne uocetis me מַרְיָא iucundam, sed uocatis me Mara, amaram, quia amaram reddidit me omnipotens, Ruth. I, 20. Ad hanc igitur ciuitatem tendebat Dominus, procul dubio eo fine, ut ibi defuncto uitam, piaeque matri filium, restitueret, et cum ipso ibant discipuli eius multi, (Ex capite enim VI, 19, et X. 1. S. Lucae intelligitur, Dominum tunc temporis multos habuisse discipulos, i. e. credentes in se, siquidem ex ipsis LXX, post Apostolos, elegit discipulos κατ' ἐξοχήν sic dictos.) qui ipsum ad audiendam Euangelii doctrinam sequebantur, similiter etiam, eadem ex causa adductus, populus multus, qui omnes testes esse debebant miraculi, quod omnipotentia eius editura erat.

D 2

Ως

Ως δὲ ἡγγισε - ἦν σὺν αὐτῷ. Cum autem Iesus appropinquaret
 portae civitatis, non fortuito, sed destinato, ut videatur, animo, et oppor-
 tunc, quo pia ac moestissima matri, cuius preces ac lacrimae ad thronum DEI
 ascenderant, supplicas, iuxta promissionem suam, ferret, Ps. L, 15, CXLV, 18, 19,
 Ecclef. XXXV, 21, Jac. V, 16, tunc, ecce, vid. de vocis emphasi, Vindic. 157 et 163,
 et quae ad u. 5. *Evang. Domin. Advent. I*, dicta sunt, efferebatur, utrum mane
 aut vespere, an circa, aut post meridiem, expressum non est, mortuus, quia sepul-
 chra Iudaeis, exceptis Regum sepulchris, quae in ciuitate Davidis erant, 2 Reg. II,
 10, XI, 43, XIV, 31, cet. extra urbem erant, ut uidere est ex *Matth. XXVII, 59, 60*,
 itemque aliis populis, *Sic et Romani gentiles*, scribente CORNELIO A LA-
 PIDE, ad h. l. *sepeliebant suos extra urbem in campo Martio, teste Livio, imo*
lege XII tabularum intra urbem mortuos sepeliri vetitum erat. Quam legem
antiquatam renouauit Theodoricus Rex Italiae. Extat illa apud Cassiodorum
cap. 3. Christiani quoque, uigente persecutione, extra Romam in cryptis, a se
effossis, defunctos suos humabant, uti etiamnum est uidere in coemeterio S. Pri-
scillae, S. Sebastiani, S. Laurentii, cet. postea, uero, data pace Ecclesiae, coeme-
teria in urbe, iuxta templa suere constituta et consecrata, idque primo, ut mor-
tis memoriam, quasi sanctae uitae stimulum, fidelibus iugiter obicerent. Sic
Spartani suos in urbe sepeliebant ex instituto Lycurgi, qui hac ratione iuuentu-
tem ad mortem honorandam, non autem timendam uolebant assuescere, teste
Plutarcho in Laconicis. Secundo certis precibus et ritibus coemeteria conse-
crabant contra illusiones daemonum, qui in sepulchris habitare et corpora mor-
tuorum assumere solent, ut patet Luc. IIX, 27. Tertio, id ipsum faciebant
hoc fine, ut fideles ingressuri in templum pro ibidem sepultis orarent, ut ipsi e
Purgatorio liberari in coelum euntes cum Sanctis in gloriam resurgere in die iu-
dicii mererentur. Item ut sacrificii Missae, quod in templo fit, participes fo-
rent, ac Sanctorum, qui in templo quiescunt, uel coluntur, meritis et preci-
bus inuarentur. Ut uero GROTIUS modum sepeliendi mortuos in
ciuitatibus, physicas ob rationes, notat, scribens, Sepulchra Iudaeis ex-
tra urbem erant, ut uidimus Matth. XXVII, 59. Sed et aliis populis, unde esse-
rendi uox. Et certe ita postulat ratio publicae sanitatis, quae multum haedi
solet aura sepulchrorum. Quo magis mirum, Christianis ferme omnibus placuisse,
ut conuentus sacri eidem in locis haberentur, in quibus ista sunt cadauera, quod,
in memoriam martyrum olim induclum, nescio an satis sapienter, retineatur, Sic
fabulas et idololatrias doctrinas Pontificiorum, quas hic offert CORNE-
LIVS de purgatorio, de cultu et intercessione sanctorum, de sacrificio Missae,
et de illatione daemonum in sepulchris, S. Lucae loco abusus, detestamur,
a Nostranis dudum confutatas, quaestionem uero, utrum salius sit in oppidis,
 an

an extra ea, mortuos sepelire saos, in medio, quia instituti ratio non per-
mittit, relinquimus, et ad nostrum redeamus mortuum, qui, cum suo quo-
que exemplo probasset, mortem peccati stipendium, et omni homini mo-
riendum, esse, *Gen. II, 17, Ps. XC, 4, 6, 7, 11, 13, Rom. V, 12, VI, 23, effereba-*
tur, ut quiesceret post peractum laborem, *Ies. LVII, 1, 2, Dan. XII, 13, Sap.*
IV, 7, Apoc. XIV, 13, filius unigenitus et dilectus matri suae ingemiscenti ac la-
crymanti, praeter quem alium enixa non erat, hinc eius morseo acerbior erat,
inprimis, cum in ipso, marito orbata, omnem spem, post DEVM, posue-
rat. Hic, proh dolor? flos iuuentutis, unica spes, efferebatur, matri
ereprus, *quae uix αυτη*, uid. *Vindic. p. 238, seqq. erat uidua*, quae plerumque
omni afflictionis generi sunt expositae, et premi solent *Ies. X, 1, 2, licet*
feuerissime inerdixerit uiduarum iudex, *Exod. XXII, 22, seqq. Deut. XXVII, 19,*
Interim tamen hoc solatio ipsi esse poterat, scienti, quod DEVS sit uiduarum
iudex, *Ps. LXIIX, 6, et quod ex frequenti comitatu amorem ciuim erga se iudi-*
care licebat, quanquam nostra aetate id uix iudicare liceat, cum suos mor-
tuos comitandi licentia pro parata pecunia uendatur, siquidem populus ciui-
tatis multus, qui sequebatur fanus, erat cum ipsa, partim ad amoris, bene-
uolentiae, amicitiae, et *συμπαιθειας* significationem erga defunctum et ui-
dam afflictam testificandam, partim uero, ut, liceat hoc conicere, discerent
mori, antequam morerentur, *Ps. XC, 4, 13.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

- I Nullam praetermittendam esse diem, memento, qua non cogitandum sit tibi,
hodie forte in coelestem Naim eundum esse. Bene tibi, si Christum habue-
ris ducem et in eius comitibus inuentus fueris, tunc nullum tibi metuen-
dum erit periculum, *Ps. XXXIII, 3, 4.*
- II Tota uita est migratio ad ciuitatem futuram, quam eundo quaerimus,
Gen. XLVII, 9, Ebr. XIII, 14. Operam ergo des, ne a recta uia a terres,
Matth. VII, 14, sed eam ingrediaris, quae ad aeterna gaudia ducat,
Iob. XIV, 6.
- III Etsi mundus sit amoenissima iucundissimaque Naim, tamen exeundum est.
Vigila ergo et paratus est), fortasse, qui te efferant, mox in uia erunt,
Ps. XC, 6, 7, 13, Luc. XII, 20.
- IV Christum eiusque uerbum qui amant, illi eum quoque sequi debent,
usque ad mortem, *Matth. X, 20, Apoc. II, 10.*
- V Vnaquaeque ciuitas, unaquaeque domus, habet suas calamitates, nullo
in loco tui sanus a morte, hodie mihi, cras tibi. De omnibus, si He-
noctium

nochum et Eliam exceperis, haec uox auditur, et mortuus est, *Gen. V, 3, seqq. IX, 29.*

VI Omnibus quidem moriendum esse, siue iuuenes aut senes, siue diuites aut pauperes, siue docti aut indocti siue pulchri aut deformes, siue principes aut humiles, siue felices aut infelices, sint, *Pf. XXXIX, 5, 6, XC, 11, 13, Rom. V, 12, scimus, conf. προσοικ. anteced. Sed quando, ubi, et quomodo morientur, ignoramus. Utinam omnes eo contenderent, ut in Domino et beati morentur, Ies. LVII, 1, 2, Phil. II, 12, 2 Tim. IV, 7, 8, Apoc. XIV, 13.*

VII Quando funus honorifice effertur, laudandum, et moestis solatio, est. Sed animae nihil prodest, nec testimonium inde peri potest, quod anima in coelis sit, *Luc. XVI, 22, 23.* Ita igitur uiuas, homo, ut simul anima tua in coelum transferatur, *Luc. XXIII, 43, Apoc. XIV, 13,* et corpus honeste effertur, nec ignominose abiiciatur, *Ier. XXII, 18, 19.*

IIIX Quoties, funus efferris, uides, toties mori momento, *Conf. προσοικ. VI, et bene tibi, si moriaris, antequam moreris, 1 Cor. XV, 31, ut, cum moriendum tibi sit, in Domino moriaris, Rom. XIV, 8, Apoc. XIV, 13.*

IX Vt mors unigeniti matrem, eamque uiduam, uehementissime affligit, eique omnium dolorifica est, *Ier. VI, 26, Thren. I, 12,* sic expendendum est, quod Domini consilia et iudicia sint incomprehensibilia, et uiae eius imperferutabiles, *Rom. XI, 33.*

X Saepe DEVS aufert nostrum solatium, auxilium, ac fulcrum, ne, ei confidentes, a DEO recedamus, *Ier. XVII, 5, 6, 7, sed speremus, quod misericors sit, Ies. LIV, 7, 8, 10, 1 Thren. III, 22, 23, 24.*

XI Pietatis est officium funera, et cum primis eorum, qui sanguine nobiscum coniuncti, uel unius eiusdemque ciuitatis incolae, fuerunt, comitari. Eo grauius igitur peccant illi, qui huius pietatis officio exequendo obicem ponunt.

XII Nulla calamitas sola. Pia foemina, orbata marito, orbatu filio. Dolor certe dolorum, et calamitas calamitatum, *Thren. I, 12.* Bono tamen animo! Post nubila Phoebas. Qui DEVM amant, iis omnia in bonum euentum cedunt, *Rom. IIX, 32, Auxilium praesto est. Conf. προσοικ. III seqq. ad uersus seqq.*

Ver-

VERSUS 13—15

13 Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ Κύριος ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῆ, καὶ εἶπεν αὐτῆ. Μὴ κλάε.
 14 Καὶ προσελθὼν ἤψατο τῆς σέσου, (οἱ δὲ βασάζοντες ἐστρασαν) καὶ εἶπε. Νεανίσκος, σοὶ λέγω, ἐγέγνητι. Καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

Et uidens eam Dominus, uisceribus commotus est super eam, et dixit ei. Ne fle. Deinde accedens tetigit loculum, (portantes autem steterunt,) et dixit. Iuuenis, tibi dico. Surge. Et resedit defunctus, et cepit loqui, et dedit ipsum matri eius.

ΞΕΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ Κύριος - Μὴ κλάε. *Et uidens eam, matrem ingemifcentem et lacrumantem, cuius suspiria, gemitus, preces ac lacrymae, quae efficaces erant, et caelum penetrabant, Eccles. XXXV, 21, Iac. V, 16, procul dubio huc adduxerant Seruatorem ad iuandam. Cum enim illa sine dubio pia fuerit uirga, quae fiduciam suam omnem in Domino collocans regnum DEI quaesierat, filiumque in timore Domini educauerat, Gen. XII, 19, 1 Tim. V, 4, 5, ecce Seruator promissiones diuinas auxilio suo extra ordinem confirmaturus Pf. L, 15, LV, 23, XCI, 14, seqq. Ies. LIV, 7, 8, ex ciuitate Capernaum approperebat, et cum uidit eam Dominus, Dominus uitae et necis, Deut. XXXII, 39, 1 Sam. II, 6, Io. V, 21, DEVS ille omnis solatii et Pater misericordiarum, Pf. CIII, 13, Ies. XLIX, 14, 15, 2 Cor. I, 3, 4, conturbantur uiscera eius ad miserescendum, Ier. XXXI, 20, siue, ut uerba sunt S. Lucae, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῆ, cor et uiscera eius commota sunt amore et misericordia, erga eam afflictam, conf. quae de emphasi huius uocis ad u. 2 Euang. Domin. VII post Trinitatis sunt notata, et dixit ei Dominus, consolaturus et adiuturus eam. Ne, quae so, fle. Non prohibet Dominus lacrymas amoris ac luctus materni, prout ex his Christi uerbis, ob defunctos non esse flendos, probari olim conati sunt quidam. Quomodo enim misericors Iesus testes amoris materni prohibere potuisset, qui ipse lacrymas fudit Hierosolymorum, et Lazari causa, Luc. XIX, 21, Io. XI, 35, quaeque nullibi in lege diuina interdictae legantur, sed sanctorum exemplis omnitempore comprobatae. Sic Abraham Saram, Gen. XXIII, 2, sic Iacobus Iosephum, Gen. XXXVII, 35, sic Iacobum filii Gen. L, 1, 10, defleuerunt, cereri, nec modum nostra excessisse uidetur lacrymans, de quo CYPRIANVS, Serm. IV de Mortal. scribit, inquiens. Fratres nostros non esse lugendos, accersione Dominica de seculo liberatos, cum sciamus, non eos amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes et nauigantes, desiderari eos debere, non plangi, nec accipi-*

accipiendas hic atras uestes, quando illi ibi indumenta iam alba sumserint, occasionem non dandam esse gentibus, ut nos merito ac iure reprehendant, quod, quos uiuere apud DEVM dicimus, ut extinctos et perditos lugeamus, et fidem, quam sermone et uoce depromimus, cordis et pectoris testimonio reprobemus. Vox igitur erat solatii, qua moestum erigere, eius dolorem mitigare, lacrymas abstergere, eamque ad instans gaudium praeparare uolebat. Nec dubium forte est, quin attenderit foemina ad uerba Christi uera fide, quae nullum aliud solatium habebat, nisi quod ille defunctus resurrecturus sit in uniuersali illa resurrectione, Io. XI, 24. seqq.

Καὶ προσελθὼν ἤψατο τῆς σόρου, - ἐγγέθητι. Deinde, cum matrem blandis et solatio plenis allueurus esset uerbis, sine mora accessit paratus ad iuandum, licet non rogatus, hinc notant ueteres, scribente GROTIUS, ad h. l. in tribus miraculis, quae post sermonem in monte habitum Christus edidit, tria beneficiorum DEI genera nobis ostendi, primum eorum, quae conferuntur ipsis orantibus, ut illi uiriliginoso, cuius Matthaeus meminit, alterum eorum, quae per aliorum preces alii obtinent, quorum exemplum est in seruo centurionis, tertium eorum, quae nullis precibus quaesita, ex mera suapte misericordia DEVS largitur, cuius rei in hac historia est specimen. Ad talem autem misericordiam optimo iure referrī solet ab Apostolis gentium profanarum uocatio ad cognitionem ueri. Sed non accessit saltem Iesus, uerum tetigit quoque loculum, siue, cum SYRO interprete, lectulum, prout modo laudatus GROTIUS in h. l. obseruauit scribens, Σορὸν hic Syrus recte, ni fallor, ex more inter opulentiores tunc recepto, lectulum interpretatur, in quo mortui efferebantur, Notum illud Martialis,

Inuidiosa tibi quam sit lectica requiris?

Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Sed et Iudaeos ita elatos ex Iosepho discimus. Attigit autem Christus, ut sciret ferentes, quod indicam sequentia. An mortuum etiam tetigerit, incertum est, quod etsi fecisset, nihil sane in eo fecisset contra legem. Nam ipsa ἐπιεμια dicitur, eum, qui mortuum tangendo in uitam reuocat, tactu mortui non polluit, cum causam ipsam pollutionis auferat. Quare nec Elias, nec Eliseus, cum id fecerunt, censendi sunt contra legem fecisse. Quae emadmodum uero eorum interpretatio nobis etiam anteferenda uideretur, qui σορὸν lectulum uertunt, siquidem nullus erat locus in sacris, ex quibus euinci possit, Iudaeos mortuos suos loculis, siue capulis, incluisse, contra uero haut semel legitur, eos linteis inuoluisse defunctos, ipsosque inuolutos in sepulchris recon-

recondidisse, ut ex *Io. XI, 39-44, XIX, 38, seqq.* intelligitur, itemque ex *2 Sam. III, 31*, est colligere, in quo loco uox *ἦλθς* legitur, quam *LXX* *κλήρον* reddiderunt, sic, Dominum lectulum saltem tetigisse, non mortuum, textus docet, eumque uoce sua in uitam reuocasse omnipotenti et uiuificante, *Io. V, 25, seqq.* sicut *LAZARVM*, *Io. XI, 43*, et puellam, *Marc. V, 41*, dum dixit, *iuuenis tibi dico*, i. e. mando, *Elias* quidem, *1 Reg. VII, 19, seqq.* et *Eli-saeus*, *2 Reg. IV, 32, seqq.* item resuscitarunt mortuos, uirtute diuina sibi concessa, et orando, sed Dominus *ἀντεξουσίας*, pro sua omnipotentia, imperat *Pf. XXXIII, 9*, et uoce omnipotente, qua ut hoc uniuersum creauit, *Gen. I, 3, seqq.* sic aliquando omnes etiam mortuos, in extremo iudicio, resuscitabit, *Io. V, 28*, iuuenem resuscitat. Simulac enim uox Domini sonabat, audiebat mortuus, et se uiuum esse declarabat actionibus hominis uiuentis. Resedit enim et locutus est. De quibus in uers. seqq.

καὶ ἀνέκλθισεν ὁ νεκρὸς -- τῇ μητρὶ αὐτοῦ. Et eo ipso momento, quo imperauit Dominus, *Surge iuuenis, resedit*, qui in lectulo iacuerat, mortuus, cuius anima nunc cum ipso corpore de integro unita fuit, et locutus est, quo signo non tantum ab omnibus creaturis uisibilibus distinguitur homo, sed etiam a mortuis, hinc, ut ne apparenter, auctore *THEOPHYLACTO* ad *h. l.* tantum quibusdam suscitatus uideatur, locutus est, nam uerae resurrectionis signum fuit, residere et loqui. Inanimatum enim corpus neque residere, neque, loqui, potest. Accedit et hoc, quod filium morte ereptum restitueret matri, eique, ut filius matrem, et mater filium, agnosceret, redderet. Dedit enim Dominus eum matri suae, ut secum adduceret domum, isque sub eius potestate esset, matri seruiret, et uiuus esset testis miraculi, a Christo *ἀντεξουσίας* editi. Conf. *2 Reg. IV, 36*. Ut uero inter tres illos mortuos, quos Dominus a mortuis resuscitauit, hic primus fuit, altera filia *Iairi*, *Matth. IX, 25*, tertius *Lazarus*, *Io. XI, 43*, itemque, eo tempore, quo Dominus hostia pro peccatis mundi in ara crucis offerretur, multos sanctos resurrexisse, *S. Matthaeus* refert, *cap. XXVII, 52*, sic quaeritur, ubinam animae illae, a corpore solutae, interea temporis fuerint. Alii cum Pontificiis quidem in respondendo erunt faciles, eisque purgatorium assignabunt. Sed ut purgatorii fabula nullum habet fundamentum in sacris literis, neque in prae antiquitatis scriptis unquam lecta fuit, sed ex impuris Gentilissimi *Platonici* ritualis est hausta, eamque seculo *IX Bonifacius*, Pontifex Romanus, Ecclesiae suae persuadere coepit, Concilium uero *Florentinum* Saeculo *XV* tradidit, atque *Tridentinum* confirmauit, uid. plura apud *b. CHEMNITIVM* in *Examine Concilii Tridentini* P. III, Sic eadem Scripturae *S.* et analogiae fidei contrariatur,

tur, quia illa duos saltem locos post mortem nouit, quorum alter coelum, alter infernus dicitur, atque in horum alterutrum animae, post solutionem uinculi, quod inter eas et corpora intercessit, abeunt, haec uero docet, pi-
 rum animas statim esse apud Christum in Paradiso, nec ullos cruciatus, uel
 calamitates, eas sentire, *Eccl. XII, 7, Sap. III, 1, Luc. XXIII, 43, Phil. I, 23,*
2 Cor. V, 1, 6, 8, 1 Thes. IV, 17, Apoc. VII, 16, 17, XIV, 13. Alii cum Socinianis,
 psychopannychismum asserentibus, dormiuisse interea, statuent, quem loci
 allegati refutant, alii in paradiso eam fuisse aiunt, atque inde in corpus
 reuocantam, sed cum credibile hoc non uideatur, quod ex statu beatitudinis
 illa in statum calamitatis iterum translata fuerit, eam quoque dimittimus.
 Nobis illorum uidetur sententia omnium probabilior, qui statuunt, eam qui-
 dem in manu DEI fuisse, sed nondum ad fruitionem beatitudinis perue-
 nisse. Omnium autem rectissime illi agere uidentur, qui, ab istiusmodi
 quaestionibus, de quibus Scriptura S. nihil reuelauit, abstinendum potius,
 quam in eas inquirendum esse, iubent. Vid. plura apud IO. GVIL. BAYE-
 RVM in *Disp. de statu et ubi animarum separatarum et ad uitam naturalem*
rursus ordinatarum, TOBIAM WINCKLERVM in Disp. de bis mortuis, REBE-
LYVM de bis mortuis, WERNSDORFIVM de statu animarum post mortem,
reliqui.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I Quo longius saepe auxilium DEI a nobis abesse uidetur afflictis, eo pro-
 pius illud, praeter omnem spem atque expectationem, saepe est, *Pf. XCI, 15,*
Ies. XLIII, 1, 2, LIV, 7, 8, 10. Bono igitur sis animo, DE Oque confide, et op-
 portune auxilio suo praesto erit, *Pf. XXXIV, 19, XXXVII, 5, LV, 23, Ies.*
XXXIX, 17, Hebr. XIII, 5, 6.

II Humanum auxilium quando desinit, diuinum plerumque incipit, *Exod.*
III, 7, 1 Reg. XVII, 10, seqq. XIX, 4, seqq. 2 Reg. VII, 1, 2, Dan. III, 19, seqq.
 Ne ergo despera, quando illud cessare uideas, *Dan. III, 17, 18, conf.*
πρῶτον. anteced.

III Ecce, pie uiduae, *1 Tim. V, 5, 6,* solatium uestrum, *Ier. XIV, 8.* Iesus
 respicit ad uestras afflictiones, Iesus miseretur uestrarum, Iesus opem
 fert uobis. Ad eum ergo confugiatis, nec deseret uos, sed breui iuua-
 bit, *Ies. LIX, 1, Luc. XIX, 5, 7, 8. Conf. πρῶτον. I.*

IV Disce,

- IV Disce, quid preces ualeant, quid lacrymae efficiant, *Eccles. XXXV, 21, Iac. V, 16.* Ergo et tu, qui afflictus es, precibus et lacrymis ad DEVM fuge, *Pf. L, 15, LVI, 9.*
- V Securi homines rideant lacrymas sanctorum, tu uero, pia anima, iustarum lacrymarum ne pudeas, in afflictione tua. Ipse Sospitator enim lacrymas fudit, *Luc. XIX, 41, Io. XI, 35, Hebr. V, 7,* et ante eum tot Sancti lacrymis DEO supplicati sunt, *2 Reg. XX, 5, Pf. VI, 7, XXXIX, 13, XLII, 4, Eccles. IV, 1, conf. Luc. VII, 38, 44, 2 Cor. II, 4,* quas ipse DEVS abstergere promisit, *Pf. CXXXVI, 5, Apoc. VII, 17, XXI, 4.*
- VI Ad DEVM fugite, qui afflicti estis. Est enim ille DEVS omnis solatii, est Pater misericordiarum, et unicus, qui iuuare potest, *Pf. L, 15, CIII, u, Ier. XIV, 8, 2 Cor. I, 3, conf. προσοικ. IV.*
- VII DEVS quidem suos lacrymis pascit, *Pf. XLII, 4, LXXX, 6,* sed gaudium etiam breui reficit, *Pf. XXX, 6, Ier. LIV, 7, 8.*
- IX Vt modus in omnibus rebus est habendus, sic fientes etiam decet, ne, gentilium more, in lugendo nimii sint, qui nullam spem habent, *Eccles. III, 4, 1 Thes. IV, 13.*
- X Omnes nos in morte deserunt, nec resuscitare nos aliquis potest. Solus Christus apud nos est, et spiritum nostrum suscipit, *Ecl. XI, 7, Sap. III, 1, Luc. XXIII, 43, Act. VII, 59,* qui aliquando etiam corpora nostra resuscitabit uoce sua, *Io. V, 25, 28, 29, XI, 25, 1 Cor. XV, 22, 1 Thes. IV, 16.* Sint haec solatio nobis, *1 Thes. IV, 18.*
- X Si Christus in statu exinanitionis mortuos sua uoce resuscitare potuit, *Marc. V, 41, 42, Luc. VII, 14, 15, Io. XI, 43, 44,* multo magis id facere potest in statu exaltationis, *Matth. XXIX, 18, Io. V, 26, seqq. Phil. III, 20, 21.* Noli ergo de qua resurrectione dubitare, *Io. XI, 25, XVII, 24, 1 Cor. XV, 42, seqq.*

XI Ecce homo, quis sis in morte tua, quem in uita non palatia, non principatus, non regna, capiebant, eundem nunc angustum capulum capit. Memento mori. γινῶθι σεαυτόν, *Pf. XC, 13.*

XII Cum mors nemini parcat, cuiuscunque sit aetatis, status, et conditionis, uid. ad u. 11 *προσοιμ. VI*, nolite uestrae iuuentuti confidere, iuuenes, sed, quod floribus sitis similes, expendite, uid. ad *Euang. antecedentis uersf. 28 προσοιμ. IIX*, et paulo ante ad u. 12, *προσοιμ. V*, et *IIX*.

XIII Quo iucundior erit in uniuersali resurrectione uox Iesu iis, qui in Dominó sunt mortui, *Apoc. XIV, 13*, ex morte enim ad uitam transeunt, *Io. V, 24*, eo tristior illa erit, qui sine Christo discesserunt ex hac uita, nec eius audire uoluerunt uocem, tunc enim eius uocem nolentes uolentes audire eos oportebit, *Io. V, 28, 29*, et ex morte ad mortem transibunt, *Matth. XXV, 41, Io. V, 29, Apoc. XXI, 8*. Audite ergo Christi uocem in hac uita, ne terribilem eius uocem post hanc uitam audiat, *2 Cor. VI, 2*.

XIV O quanta gaudia, quando nos resuscitati non nostros tantum uidebimus, sed DEVM inprimis a facie ad faciem, *1 Cor. XIII, 12, 1 Io. III, 2*, tunc laetabimur, laudabimus, et glorificabimus DEVM, *Pf. CXXVI, 2, Apoc. VII, 12*.

XV Christif uox quando resonabit, nulla terrae moles, nulla lapidum aliarumque rerum pondera impediunt, quo minus corpora nostra prodisse possint, *Matth. XXVII, 52, Io. V, 28, 29. conf. προσοιμ. X*.

XVI Etiam si Christus in hac iam uita lacrymas nostras, auxilium nobis ferens, abstergat, nostrosque animos gaudio reficiat, *2 Reg. XX, 5. Pf. XCVII, 11, 12, CXLVII, 3*, tamen hoc fiet perfecte, cum a mortuis resurgentes in gaudia eius intrabimus, *Pf. CXXXVI, 2, Ief. XXV, 8, Matth. XXV, 21, 34, Io. XVI, 22, Apoc. VII, 16, 17, XXI, 2, seqq.*

VER=

V E R S V S 16 ET 17

16 Ελαβε δὲ φόβος ἀπαντας, καὶ ἐδόξα-
ζον τὸν Θεόν, λέγοντες. Οτι προφέ-
της μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι
17 ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.
Καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ἅλῃ τῆ
Ιουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ πε-
ριχώρῳ.

*Cepit autem timor omnes, et glorifica-
runt DEVM, dicentes. Profecto
Propheta magnus surrexit inter nos,
et DEVS sane uisitauit populum
suum. Et exiit sermo hic per to-
tam Iudaeam de ipso, et per omnem
circumiacentem regionem.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ελαβε δὲ φόβος ἀπαντας - - τὸν λαὸν αὐτοῦ. *Cepit autem propter in-
expectatum hoc miraculum diuinum, quale a tempore Elisae, adeoque non-
gentis annis praeterlapsis, editum non erat, timor omnes, tum qui cum Chri-
sto aduenerant, tum qui defunctum comitati erant, quia, diuinum opus esse,
recte iudicabant, atque hinc infirma eorum et deprauata natura hoc sine
animi perturbatione atque admiratione ferre non poterat. Fuisse tamen
hunc timorem non ab incredulitate quadam profectum, sed a doctrinae
fidei, qua edocemur, timendum esse Dominum, et hunc timorem esse sa-
pientiae initium, Pf. CXI, 10, Ies. IIX, 3, quemadmodum etiam haec assertio
ex eo intelligitur, quod glorificarunt DEVM, tum interne agnitione et
conuictione, hoc miraculum, a Christo editum, esse diuinum, ipsumque a
DEO ad salutem hominum missum, Io. III, 16, 17, VI, 39, 40, adeoque non
falsum Prophetam, qui a diabolo sit, licet posthaec istiusmodi criminationi-
bus lacerarent Christum filii nonnulli diaboli, Io. IIX, 44, 48, seqq. tum
externae, uoce et gestibus, quibus manifestabant ea, quae in corde erant,
dum celebrabant nomen DEI, eique gratias agentes ac laetantes gloriam
eius amplificabant, atque enarrabant, dicentes fide pleni. Profecto, non
enim onose est hic particula ὅτι posita, uid. Vindic. p. 287, seq. sed fidei
πληροφορίαν, indicat, quam coram, hac uoce, declarabant miraculi editi te-
stes, quid de eo, quidue de Christo, istius auctore, sentirent, se scilicet
credere, Dominum uere esse magnum illum Prophetam promissum, Deut.
XVIII, 15, 18, 19, siue, ut uerba eorum sonant. Profecto Propheta magnus,
nonnulli haec uerba in genere de Propheta quodam magno, qualis erat
Elias et Elisa, qui itidem defunctos resuscitarunt, 1 Reg. VII, 22,
2 Reg. IV, 35, accipiunt, sed rectius uidentur nobis illi agere, qui de
Propheta illo magno, siue Messia, accipiunt, cuius assertionis rationes
sequentes adducimus, quia, a) populus agnoscebat, multum esse descri-*

minis inter modum resuscitandi mortuos, quo dicti Prophetae illos resuscitauerant, qui id orando fecerant, et quo Christus, qui hoc faciebat imperando, *Νεανίσκε, σοι λέγω ἔγειθῆτι*. Tale exemplum nullibi profabatur, nec unquam auditum erat, et hinc, non nudi hominis, sed solius DEI esse opus, facile diiudicare poterant, ideoque pro nudo Propheta eum habere nolebant, sed pro magno illo, a *Mose* dudum promisso, hinc *β*ea quoque utuntur locutione, quae eo tempore de Messia usitata erat, scilicet, *ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ*, de qua paulo post. Cum igitur *γ*) haec confessio populi ac iudicium de Christo undique locorum innotesceret, et ad *Ioannem* baptistam perferretur, hic, ut confirmaret eam publice, suosque discipulos ad Messiam adduceret et eorum saluti prospiceret, antequam ex uiuis discederet, quaestionem de Messia publice per legatos u. 18 seqq. proponit, quod non fecisset, nisi fama de Messia in tota Iudaea increbuisse. *δ*) Populus a *Ioanne* iam edoctus erat de Messiae aduentu, quod iam uenisset, et mox sese manifestaturus esset, *Matth. III, 3, 11, Luc. III, 15, 16, Io. I, 23, seqq. III, 28, sequ. coll. Mal. III, 1*. Cum ergo tanta miracula uiderent, Dominum omnino pro Messia habuerunt, eumque magni Prophetae nomine, h. l. insigniuerunt. Atque ex his facile intelligitur, de Messia accipienda esse haec populi uerba, *profecto, Propheta surrexit*, i. e. *exortus est*, uid. *Vindic. p. 107, seq. inter nos Iudaeos*, ex nostro sanguine, speciatimque *Dauidis* editus, *Ies. XI, 1, 2, Ier. XXIII, 5, 6, et profecto*, uid. *Vindic. p. 287, DEVS*, prout promisit, per Prophetas *V. T. Ies. XXXV, 4, seqq. Ier. XXXIII, 6, 7, 8, 14, 15, 16, cet. uisitauit populum suum*, gratiose mittendo Messiam promissum, qua dictione *Zacharias* quoque usus est, *Luc. I, 68, 78*, ad salutifera tempora Messiae exprimenda. Idcirco dubium forte superest nullum, quin hic populus in miraculi huius et simul Messiae, a se agniti, testibus et praeconibus referamus, qui utrumque euulgarunt, ut ex uerbo sequenti est discere. Interim utique tota ciuitas, hoc miraculo, uidetur perturbata, cum iuuenem uiderent uiuentem, portitores lectulum afferentes uacuum, comitantes, quale editum sit miraculum, enarrantes, reliqua.

καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος -- καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ. Quo facto, cum tot huius miraculi essent testes ac praecones, qui enarrantabant, Messiam, siue magnum illum Prophetam, quem diu sperantes expectassent maiores, *Pf. XIV, 7, Ies. LXXV, 1, exortem esse*, conf. *Io. I, 45, 49, VI, 14*, et tantum fecisse miraculum, quale homo facere non possit, *exiit hic sermo* de magno illo Propheta, *Io. VI, 14*, siue Messia, eiusque mira-

miraculo edito, per totam Iudaeam, adeoque ad omnium Iudaeorum aures perveniebat, ne Ioanne quidem, qui in carcere Macheruntico erat inclusus, excepto, iuxta u. 18, qui, hac fama adductus, legatos ad Christum mittebat, ut eidem occasionem coram populo testandi praeberet, conf. quae paulo ante diximus. Nec fama finibus terrae Iudaicae contineri poterat, sed eos egressa in vicinas terras circumiacentes perveniebat. Hinc factum, ut non tantum gentiles ad hunc magnum Prophetam accelerarent, sed nomen diuinum etiam inter eos glorificabatur. Denique notetur, quod Veteres, AVGVSTINVS, AMBROSIVS, GREGORIVS, BEDA, alique, totam hanc historiam mystice, uel allegorice rectius, exposuerint hoc modo, *Vidua est Ecclesia*, haec filios, i. e. Christianos, per peccatum mortale DEI gratia, quae est uita, et quasi anima animae, priuatos et mortuos luget, eisque suis lacrymis ex morte resuscitare et ad uitam gratiae reducere allaborat. Vnde Christus primo sistit funus, sic cupiditates, quae adolescentibus dominantur, cohibet et refrænat, ut eas amplius peccator non sequatur. Secundo tangit loculum, i. e. lignum crucis, eaque ipsum a morte excitat. Crucis enim Christi merito peccatoribus inspiratur a DEO poenitentia et gratia. Hinc tertio mortuus surgit, et loquitur, i. e. incipit bene operari, DEVM que laudare, ideoque omnes intuentes tantam, tamque diuinam mutationem capit admiratio, et ipsi unanimes uoce DEVM glorificant. ENTHYMIVS, uero THEOPHYLACTVS, alique hoc modo allegorizant, Vidua est anima, quae uitam suam, uerbum DEI, quod bonum seminat semen, amisit, filius est mens mortua, et effertur extra supernam Hierosolymanam, regio enim uiuentium illa est, haec ergo anima si funus suum defleuerit, Christus eam suscipiat. Locus mentis est corpus, porritores sunt immunda desideria, uel blandimenta sociorum, quae, Domino tangente, stant, i. e. coercentur, sepulchrum est guttur eorum, porta sunt quinque sensus, per quam mortuus effertur, reliqua, sed caute haec omnia sunt applicanda, ne sensui Scripturae uis inferatur, aut eum Pontificis a uero aberrerit, quibus Ecclesia, ueniam peccatorum et uitam gratiae lacrymis suis impetrare posse, dicitur, eique indulgentiarum collationem adscribunt.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

I Bene iis, qui Dominum timent, et ad hanc Domini timorem uerbo DEI eiusque miraculis adducti fuere, *Pf. XXXIV, 12, CXII, 1, seqq. Pron. XV, 25, 26.*

II Pia

II Pia ac gratae mentis est, DEVM glorificare eiusque opera celebrare, *Pf. CIII, 1, seqq. CIV, 1, 24, CV, 1, seqq. CVI, 1, seqq. CXI, 1, seqq.*

III O si homines mortem et resurrectionem a mortuis futuram serio expenderent, procul dubio metus eos inuaderet, et tandem saperent ac desisterent a peccatis, *Pf. XC, 11. uid. ad uers. 13 πρῶτον. XI, seqq.*

IV Beati, qui Messiam uera fide agnoscunt, *Io. III, 16, VI, 40, XI, 25, 26 XVII, 3, XX, 31, Rom. IIX, 24, et in hac fide usque ad finem uitae perseuerant, Matth. X, 22, 2 Tim. IV, 7, 8, Apoc. II, 10.*

V Expende, homo, si Seruator tuus exinanitus resuscitare potuit mortuos, uid. *Εξήγ.* quanto magis exaltatus te resuscitare poterit, iuxta promissionem suam, in uniuersali resurrectione, cui omnia sunt data, *Iob. XIX, 25, 26, Pf. XVII, 15, Is. XXVI, 19, Ez. XXXVII, 1, seqq. Sap. III, 1, seqq. Matth. XXIX, 18, Io. V, 26, seqq. VI, 40, XI, 25, 26, 1 Cor. XV, 21, 22, 1 Tbess. IV, 16, 18.*

VI Noli tempora uisitationis tuae, siue gratiae, negligere, sed hodie uocem Domini audias, et in gratiam redeas, *2 Cor. V, 20, 21, VI, 2, Hebr. IV, 17.*

VII In omnem quidem Iudaeam, imo totum orbem, exiit doctrinae Euangelii de Messia, *Matth. XXIX, 19, Rom. X, 18, seqq.* sed dolendum est, quod non omnes crediderunt, *Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46, seqq. Rom. X, 15, 16.* Tu ergo, qui credis, persista in fide, usque ad finem, *Rom. XI, 20, seqq. 1 Cor. XVI, 13. Conf. πρῶτον. IV. paulo ante.*

IX Si tu aliquando ad uitam resurrexturus es, prius uocem Domini in hac uita audire, et ex morte peccati resurgere, debes, *Epb. II, 4, seqq. V, 14.*

Τ Ω Ι Θ Ε Ω Ι Μ Ο Ν Ω Ι Η Δ Ο Ξ Α

99 A 6970

ULB Halle

3

002 824 85X



Retro ✓







Q. D. B. V
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE

13

VNO NECESSARIO

AD LOCOS

MATTH. VI, 24 -- 34, ET LVC. VII, 11 -- 17

ILLVSTRANDOS

PRAESIDE

CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM EPHORO
ET H. T. RECTORE

AD DIEM MARTII CIO IOCCLV

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET

RESPONDENS

M. IO. FRIDERICVS DEHNIVS

SCHLIEBENENSIS SAXO



VVITTEBERGAE

STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA